DE SUPPLICUM AD ARAM CONFUGIENTIUM PARTIBUS SCENICIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
REGIMONTANO

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS SCHMIDT
SCHERNENSIS

REGIMONTI
EX OFFICINA HARTUNGIANA
MCMXI

Gedruckt mit Genehmigung
der Philosophischen Fakultät der Kgl. Albertus-Universität
zu Königsberg i. Pr.

Referent: Prof. Dr. R. Wünsch.

RICARDO WUENSCH

sacrum

Prooemium

Quicumque confert, quot fabulas veteres poetae et tragici et comici scripserint, statim illos multo plures iis, qui nunc sunt, composuisse animadvertet. Quomodo id fieri potuerit viri docti in universum iam cognoverunt, certa artificia poetas Graecos excoluisse statuentes, ad quae in novis fabulis componendis recurrerent.[1]) Iam Gustavus Freytag (*Die Technik des Dramas*, ed. alterius p. 4, Lipsiae 1887) haec verba de tragoedia graeca fecit: *Gerade ein ausgebildetes System von Detailvorschriften, eine sichere, in nationaler Gewöhnung wurzelnde Beschränkung in Wahl der Stoffe und Bau der Stücke sind zu verschiedenen Zeiten die beste Hilfe der schöpferischen Kraft gewesen. Ja sie sind, so scheint es, notwendige Vorbedingung jener reichlichen Produktivität, welche uns in einigen Perioden der Vergangenheit rätselhaft und unbegreiflich scheint.* Etiam U. de Wilamowitz (*Kultur der Gegenwart* I, 8[1] p. 235) similiter iudicat: *Bewusste Kunstübung, Regel und Mache herrscht nur zu sehr bei den Griechen.*

---

1) A. Dieterich, *Schlafscenen auf der attischen Bühne.* Mus. Rhen. XLVI (1891) p. 25 sqq.; Kurt Witte, Quaestiones tragicae. Diss. Vrat. 1908 p. 5 adn. 1; Paulus Hoffmann, de anagnorismo. Diss. Vrat. 1910.

Qualia autem haec artificia, quibus poetae dramatici Graeci usi sint, fuerint, maxime Albrechtus Dieterich cognoscere studuit (Pauly-Wissowa R. E. s. v. Euripides VI p. 1275 sq.), ubi idem ad has res accuratius inquirendas antiquitatis studiosos incitavit. Quorum in numero quales artes sint, cognoscitur ex iis quoque, quae Witte dicit l. l. p. 8 adn.: „Vix opus est de artificiis velut *ἀναγνωρίσεως* vel supplicum ad aras deorum confugientium monere, quae pariter in Euripidis atque in Plauti usu sunt.“ Quibuscum conferantur verba, quae Dieterich (loco modo laudato) de eadem re fecit. Qui Euripidis arte dramatica illustrata variisque artificiis, quibus ille usus est, allatis, sub finem disputationis haec dicit: *Auch wenn mit Untersuchungen über die Motive, wie ich sie eben andeutete, nicht viel zu erreichen ist, wie man gemeint hat: die Entwickelungsgeschichte der dramatischen Kunst selbst, speziell der Euripideischen ist ein viel grösseres Problem als eine einzelne Datierungsfrage.*

Inter artificia poetarum tragicorum praeter *ἀναγνώρισιν* illam, quam Paulus Hoffmann nuper in dissertatione supra p. 1 adn. 1 laudata accuratissime tractavit, etiam oracula, somnium aliaque numeranda sunt, quorum ut exemplum afferam, somnio Aeschylus in Persis et Choephoris, Euripides in Hecuba et Iphigenia Taurica, Sophocles in Electra usus est.[1])

Celeberrimum autem artificium, quod poetae tragici et maxime Euripides adamaverunt, A. Dieterich (Pulcinella, Lipsiae 1897 p. 9 sq.) nomine *Altarmotiv* significavit. Sunt autem eae scenae, in quibus supplices, plerumque magnopere pressi, ad aram con-

1) cf. Leo, *Plautinische Forschungen* p. 144.

fugiunt ibique, postquam periculum ad summum pervenit, liberantur. A. Dieterich, qui l. supra l. in „Herculem“ et „Andromacham“ Euripideas accuratius inquisivit, in universum de artificio illo haec dicit: *Es ist der Höhepunkt einer Handlung, der Zielpunkt eines Motivs, das in der Literatur des antiken Dramas eine Geschichte hat, und eine ganz besondere Rolle spielt.* Hoc artificium seiungendum est ab illo, quod nomine *ἱκετείας* designare possumus; nam non omnes supplices in omnibus fabulis ad aram confugiunt. Ut sententiam exemplo illustrem, in Sophoclis Oedipode Coloneo Creon, postquam Ismena iam abducta est, etiam Antigonam se abducturum esse minatur, quamquam illa una cum Oedipode in Thesei tutela est. Antigona maxime pressa sic lamentatur (v. 828 sq.): *οἴμοι τάλαινα, ποῖ φύγω; ποίαν λάβω θεῶν ἄρηξιν ἢ βροτῶν;*[1]) sed ad aram non confugit.

Sin autem in eas tragoedias, in quibus veteres poetae scenici supplices ad aram confugientes induxerunt, accuratius inquiremus, nonnulla nova de legibus statuere licebit, quas non solum tragici sed etiam comici Graeci et postea Romani poetae secuti sunt. Qua de causa hunc laborem suscipere operae pretium mihi videbatur esse. Sed primum exteriorem habitum scenarum, in quibus fabulae agebantur, describam (cap. I), sequetur, ut fabulas ipsas ad artificium illud pertinentes enumerem (cap. II). Quod ita instituam, ut fabularum nobis servatarum, exceptis illis Aristophanis, nomina commemorem, tragoediarum

1) His verbis exclamatis timor et angustiae plurimis locis exprimuntur. Similiter etiam Aias apud Sophoclem v. 404 sq. dicit: *ποῖ τις οὖν φύγῃ; ποῖ μολὼν μενῶ;* cf. etiam Euripidis Orest. v. 598: *ποῖ τις οὖν ἔτ' ἂν φύγοι . . .*, Menandri Samiam ed. A. Koerte v. 223: *ὦ τάλαιν' ἐγώ, τί δράσω; ποῖ φύγω κτλ.*

autem, quarum fragmenta tantum novimus, argumentum quoque breviter proferam. Tertio capite deinde in artificium illud accuratius inquiretur, tum ultimo capite exponetur, quomodo poetae artificium excoluerint quoque modo apud eos increbruerit.

Caput I

De ara scenica

Priusquam ad rem ipsam transeo, pauca de orchestra in qua res agebantur, dicenda sunt. Fabulas, in quibus supplices ad aram confugientes inducebantur, aram postulavisse, apertum est, sed viri docti inter se dissentiunt, num omnino ara ex lapidibus exstructa omnibus temporibus etiam iis, quibus ludi non agebantur, in orchestra fuerit. Quamquam neque ullum theatrum quinti saeculi integrum servatum est neque forma theatri qualis quarto saeculo fuerit, accurate cognosci potest[1]) nec fundamentum lapidibus confectum servatum est, quo aram in media orchestra fuisse ostendatur, tamen Dörpfeld et Reisch[2]) ut antiquissimis temporibus ita quinto saeculo aram in orchestra exstructam fuisse putant, cum et dramata veterum tragicorum poetarum et testimonia posteriorum scriptorum hanc sententiam affirment. Qui viri docti pro certo habent in testimoniis, quae ad opinionem affirmandam proferunt, vocem *θυμέλη* semper aram ipsam significare (cf. Dörpfeld-Reisch l. l. p. 278), sed Robert[3]) recte ostendit auctoritatem testimoniorum illorum fallacem esse. Si Pollux IV, 123, dicit: *θυμέλη εἴτε βῆμά τι οὖσα, εἴτε βωμός*, haec

1) E. Bethe, *Prolegomena zur Geschichte des griechischen Theaters*, Lipsiae 1896 p. 9.

2) *Das griechische Theater*, Athenis 1896 p. 33 et p. 194 sq.

3) cf. Hermae vol. XXXII, 1897 p. 438 sq.

verba plus contra quam pro sententia illorum virorum doctorum testantur, cum res, quae mox ara mox *βῆμα* appellatur, nondum per se ipsam ara sit.[1]) Etiam locus in Etymologico Gudiano s. v. *θυμέλη*,[2]) qui ex loco corrupto Aeschyleo[3]) (Suppl. v. 667 s.: *Καὶ γεραροῖσι πρεσβυτοδόκοι θυμέλαι φλεόντων*) pendere videtur, nihil valet. Quem locum mea quidem sententia Robert rectius interpretatus est, cum ostenderit vocem *θυμέλη* proprie substructionem, idem ac vocem *θεμέλιον*, significare; *πρεσβυτοδόκους θυμέλας* igitur sedes senatorum esse. Etiam aliis locis ut in Euripidis Electra v. 712 et potissimum in Euripidis Ione

---

1) cf. etiam quae E. Bethe l. l. p. 10 de testimoniis aetate posterioribus dixit: *Vitruvs Anweisungen und was sich sonst noch von gelegentlichen Andeutungen über die Bühne findet, hat keine Verbindlichkeit für die klassische Zeit, und die auf diese ausdrücklich bezogenen Notizen in der gelehrten Überlieferung des Altertums sind kein zuverlässiges Material, sondern entweder einfache Übertragungen späterer Theaterverhältnisse auf die alten Stücke oder Schlüsse wie wir zu machen dieselbe Berechtigung haben.*

2) cf. p. 266, 44: *θυμέλαι· Αἰσχύλος τοὺς βωμοὺς λέγει ἀπὸ τοῦ θύεσθαι ἢ ἀπὸ τοῦ τίθεσθαι.*

3) Versus Aeschyleos ex editione Weilii (Lipsiae 1898) profero, Sophocleos ex editione Dindorfii-Mekleri (Lipsiae 1896), Euripideos ex editione Prinzii et Weckleinii (3 vol. Lipsiae 1878—1902), Aristophaneos versus secundum editionem Meinekii (Lipsiae 1860), Menandreos ex editione min. A. Koertii (Lipsiae 1910), Plautinos ex editione F. Leonis (Berolini 1895), Senecae versus secundum editionem G. Richteri² (Lipsiae 1902). Fragmenta poetarum Graecorum profero secundum editiones A. Nauckii (Tragicorum Graecorum Fragmenta², Lipsiae 1889) et Th. Kockii (Comicorum Atticorum Fragmenta, Lipsiae 1884) et G. Kaibelii (Comicorum Graecorum Fragmenta, vol. I Berolini 1899), fragmenta poetarum Romanorum ex editione O. Ribbeckii (Scaenicae Romanorum Poesis Fragmenta³. I Tragicorum Romanorum Fragmenta, Lipsiae 1897, II Comicorum Romanorum Fragmenta, Lipsiae 1898).

226 sq. vox θυμέλη non aram sed partem templi significare Robert l. l. p. 439 exposuit. Veriloquium a voce θύειν deductum quod Hesychius et alii lexicographi proferunt, qui propter illud thymelam aram esse dicunt, nullo modo probari potest. Porro Robert (l. l. p. 443) explicat vocem „thymela", cum ad theatrum pertineat, nihil aliud significare quam orchestram ipsam. Ita res se habet in fragmento Pratinae quod exstat apud Athenaeum XIV p. 617 c (cf. Th. Bergk, Poetae Lyrici Graeci vol. III p. 1218 frg. 1) *τίς ὁ θόρυβος ὅδε; τί τάδε τὰ χορεύματα; τίς ὕβρις ἔμολεν ἐπὶ Διονυσιάδα πολυπάταγα θυμέλαν;*[1]) Haec Roberti sententia Bethii argumento, propter sacrificium a quo fabularum actio ordiebatur, ara opus fuisse, non refellitur, nam haec coniectura nullis testimoniis stabilita est. Sacrificium illud, quod pompa et *κῶμοι* secuta sunt, certe ad aram maximam in Dionysii delubro factum est. Ex his igitur sequitur, ut coniectura aram lapidibus exstructam omni tempore in orchestra fuisse nullo modo probari possit. Si ara in scena conspiciebatur, eam fabulae argumentum postulabat ut in Aeschyli Supplicibus aliisque.

Proximum est, ut de fabulis, quibus ara ad rem gerendam necessaria erat et de loco, quem haec ara fugitivis apta in orchestra tenebat, verba faciam. In Aeschyli Supplicibus in orchestra erat ara in tumulo terreno exstructa, quod ex versibus 186 sq. discimus, ubi Danaus filias admonet, ut se in tutelam arae conferant, v. 188 sq.: *ἄμεινόν ἐστι παντὸς εἵνεκ᾽ ὦ κόραι | πάγον προσίζειν τῶνδ᾽ ἀγωνίων θεῶν, | κρεῖσσον δὲ πύργου βωμός, ἄρρηκτον σάκος.* Tumulus ille necessario erigebatur, ut omnes quinquaginta Danaides considere possent. In summo autem tumulo aram exstructam

---

1) cf. Herm. XXXII, 1897 p. 443.

fuisse eo comprobatur, quod *ὁ βωμός* saepius commemoratur neque ullo modo voces *πάγος* et *βωμός* idem exprimere possunt, quod Bethe et Reisch putare videntur. Nam primum etymologia verborum huic repugnat, deinde etiam nullo loco vox *πάγος* pro ara adhibetur. Collem illum satis altum fuisse ex versu 713 sequitur: *ἱκεταδόκου γὰρ τῆσδ' ἀπὸ σκοπῆς ὁρῶ.* Post *κοινοβωμίαν* in summo colle praeterea deorum imagines conspiciebantur, cf. v. 463: *νέοις πίναξι βρέτεα κοσμῆσαι τάδε* et 465: *ἐκ τῶνδε (βρέτεων) ὅπως τάχιστ' ἀπάγξασθαι θεῶν.* Qui dei fuerint, quibus ara sacra fuit ex versibus 206 sq. cognoscitur. Sunt Iuppiter Mercurius Apollo. Ex versu 465 supra memorato concludendum est *βρέτεα* illa statuas ex ligno vel ex alia materia effectas fuisse, de quibus Danaides se suspensuras et ita imagines novis *πίναξι* ornaturas esse minantur. De forma autem arae ac de arte qua deorum statuae in ara affixae fuerint, imaginibus compluribus docemur, de quibus conferas S. Reinach, *Répertoire des vases peints,* Parisiis 1899 I p. 158 et p. 221.

Neque vero solum de forma sed etiam de situ huius arae viri docti inter se dissentiunt. Wilamowitzium, qui ostendit[1]) veterrimas Aeschyli tragoedias (Suppl., Persas, Septem, Prometh.) adhuc sine pariete (*σκηνή*) actas esse, ornamentum autem, quod fabulae postulabant, in media orchestra fuisse, iam Bernhardus Todt (Philolog. N. F. II 1889 p. 505 sq.) et post eum E. Bethe l. l. p. 91 sq. impugnaverunt. Quorum virorum doctorum argumenta rursus K. Robert (Herm. XXXI 1896 p. 546) refellit. Bethe censet choro et Danao, qui curru in orchestram invehitur, spatium non satis magnum fuisse, si tanta ara in media orchestra

1) Herm. XXI 1886 p. 597 sq.

stetisset. praetereaque eam aram spectatoribus magnam orchestrae partem obtecturam fuisse. Sed hoc argumentum iam eo quod supra exposuimus debilitatur: nam *ἡ κοινοβωμία* (v. 222) non tantum ambitum habebat quantum Bethe putat, cum supplices non in gradibus arae ligneae sed in acclivitate collis sederent neque tanto spatio egerent. Ex voce *κοινοβωμία* concludere non licet aram permagnam fuisse, cum haec vox non per se magnam aram sed modo aram compluribus deis sacratam significet (Robert l. l. p. 547). Porro nullo loco legitur supplices omnes aram ipsam attingere; v. 189 hoc tantum exstat: *πάγον προσίζειν*. Inopiam spatii non dignam esse quae obtendatur, etiam ex mensura orchestrae elucet. Adumbratione, quam Dörpfeld et Reisch in libro supra laudato tab. IV fecerunt, docemur orchestram theatri Atheniensis diametrum sex et sexaginta circiter pedum habuisse. Si tumuli illius in media orchestra exstructi diametrum sedecim pedum fuisse conicimus, circa collem ab omni parte spatium viginti quinque pedum patebat. Praeterea Robert l. l. p. 547 imagines photographice depictas orchestrae theatri Epidaurii memoravit, quae quanta magnitudo antiqui theatri fuerit quasi in conspectu animi ponere possunt. Etiam aliud Bethii argumentum, quo probaturus erat tantum ornamentum spectatoribus magnam orchestrae partem obtexisse, Robert refellit. Nam quamdiu *ἡ σκηνή* non adhibebatur, spectatores etiam partem orchestrae a cavea aversam videre opus non erat. Qui autem contendunt spectatores in lateribus caveae sedentes illam partem orchestrae, quae caveae vicina erat, videre non potuisse, obliviscuntur orchestram antiquam Athenis plus ad meridiem sitam fuisse, ut, cum maius spatium spectatoribus paratum fuerit, sedes in lateribus caveae occupari necesse non

esset (cf. Robert Herm. XXXI p. 549). Quibus expositis, quamquam apertum factum est fabulam, si ara, ad quam supplices confugerunt, in media orchestra fuit, sine dubio agi potuisse, tamen etiam causae proferri possunt, quae aram in orchestrae margine fuisse testari videntur. Ita obtendi potest neque omnes supplices neque partem aversam imaginum deorum videri necesse fuisse. Quae cum ita sint, quaestio, utrum ara apud Aeschylum in medio vel in margine orchestrae steterit necne, vix diiudicari potest.

Ut in Supplicibus Aeschyli ita etiam in Septem fabula aliqua *κοινοβωμία* in scena erat. Haec ara, quam in arce Thebarum esse a poeta fingebatur, fortasse parvo colle in orchestra sito, in quo ara exstructa erat, significabatur (cf. Robert l. l. p. 438). Quid versus 265 *ἐκτὸς οὖσ' ἀγαλμάτων εὔχου* contra aram in media orchestra sitam testetur (Dörpfeld-Reisch l. l. p. 197) non intellegitur. Illis Eteocles chorum admonet, ut ex medio clivo, qui Cadmeam repraesentabat, in orchestram planam se conferat. Aram imaginibus deorum ornatam fuisse ex versu 185: *βρέτη πεσούσας πρὸς πολισσούχων θεῶν* elucet (v. 95 *βρέτη*).

Aliter res se habet in Eumenidibus Aeschyli. Cum in veteribus fabulis *σκηνή* nondum adesset, in trilogia illa Aeschylea necessario pictura adhibebatur, quae templum Delphicum Apollinis repraesentabat. Scena autem a versu 40 sq. descripta per eccyclema (v. infra), in quo ara, in quam umbilicus Apollini sacratus immissus erat, conspiciebatur, acta est.[1]) Hucusque Orestes, qui in ara sedens umbilicum llum tenet (cf. Reinach, *Répert. d. vases peints* I p. 19)

1) cf. Robert, Herm. XXXII 1897 p. 435.

et supplicis signis exornatus est,[1]) a spectatoribus conspici non potuit. Ante Orestem Furiae dormientes iacent.[2]) Qua scena artificium, quod supra *Altarmotiv* nominatum est, in Eumenidibus fuisse probatur; sed eadem in fabula iterum adhibetur. Apollo enim Orestem Athenas mittit et versu 245 sq. ille eo pervenit. Imaginem deae, quae post aram ante templum positam conspiciebatur, supplex amplexus est, v. 242 *πρόσειμι δῶμα καὶ βρέτας τὸ σόν, θεά, κτλ.*, 259 *περὶ βρέτει πλεχθεὶς θεᾶς ἀμβρότου*, 409 *βρέτας . . . τῷδ' ἐφημένῳ ξένῳ*. Praeterea cf. v. 440 *ἑστίας*, 474 *ἱκέτης*, 539 *βωμόν*. Qua ex re sequi videtur ut, cum v. 245 scena mutaretur, pro umbilico Minervae imago collocata sit. Etiam hac in scena Orestes supplex ad aram confugit, etsi in versibus allatis legimus eum imaginem Minervae amplecti; nam statua quam supplex attingit, post aram conspicitur, ut revera Orestes ad aram Minervae se conferre debeat, quod insuper probatur v. 440: *ἧσαι φυλάσσων ἑστίας ἐμῆς πέλας* et v. 538 sq.: *ἐς τὸ πᾶν δέ σοι λέγω | βωμὸν αἴδεσαι δίκας.*

Haec de Aeschyli scena dixisse satis sit. De Sophoclis et Euripidis scenis non multa dicenda sunt, cum eorum poetarum aetate iamdiu theatri frons picta adesset, quae in Sophoclis Oedipode Rege domum regiam ostendebat (v. 5—33). Ad aras, quae ante regiam exstructae erant, chorus senum et liberorum ramis supplicum exornatus[3]) confugit. Tales parvae arae domesticae et deorum statuae semper fere

---

1) cf. v. 43 sq.: *ἔχοντ' ἐλάας θ' ὑψιγέννητον κλάδον, | λήνει μεγίστῳ σωφρόνως ἐστεμμένον.*

2) cf. Huddilston, *Greek tragedy in the light of vase paintings*, Londinii 1898 p. 57 tab. 5; Joh. Overbeck, *Gallerie heroischer Bildwerke* tab. XXXIX.

3) cf. v. 1 et 3.

aderant, cum tabernaculum i. e. σκηνή domum regiam aut templum in conspectum daret. Quae arae parvulae non in media orchestra, sed ante frontem pictam exstructae erant.[1]) Reischii autem sententiam, qui loco in adn. 1 laudato putat supplices in gradibus regiae sedisse, poetae verba v. 16 oppugnant, ubi dicitur senes ad aras sedere: *προσήμεθα βωμοῖσι τοῖς σοῖς.*

Aram magnam in fabulis Aeschyleis (Suppl. et Septem) fortasse in media orchestra stetisse supra expositum est. In fabulis autem Euripideis (Heraclidis et Hercule) aras maiores inter tabernaculum (*σκηνήν*) et aditum chori (*πάροδον*) exstructas fuisse Reisch l. l. p. 251 ostendit. Causae enim, quae Aeschyli temporibus aliquo modo contra arae in latere orchestrae situm afferri potuerunt, Euripidis aetate iam non vigebant. Ara in Hercule exstructa Iovi Servatori ab Hercule dedicata erat (cf. v. 48), propter quod, cum non proprie ara domestica esset, non cum domo coniuncta esse poterat. In Heraclidis ara Iovi Forensi (*'Αγοραίῳ*) exstructa erat (cf. v. 70, 121, 238). Quas aras in media orchestra stetisse verisimile non est, cum Euripidis aetate histriones iam prope tabernaculum agerent (cf. Dörpfeld-Reisch l. l. p. 251). Item ara in Supplicibus, ea in qua Aethra cum toto choro sedet (v. 32, 258, 289) non longe a templo, quo frons scenae fingebatur, aberat, ante cuius portas Adrastus cum pueris necatorum versatur (v. 21, 107). Nam inde a v. 103 usque ad v. 400 Theseus et prope Aethram et prope Adrastum stare debet. Cum autem ara magna ante templum sita Adrastum in gradu templi iacentem spectatoribus in inferioribus cuneis sedentibus obtexisset atque inter aram Iovi Forensi dedicatam tem-

1) cf. Dörpfeld-Reisch l. l. p. 250.

plumque illud vix ratio religiosa intercesserit, cum Reischio (l. l. p. 252) aram illam iuxta templum collocatam fuisse nobis putandum erit.

Restat ut de scena Andromachae et Ionis pauca dicam. In Andromacha fabula templum et ara Thetidis iuxta aedem Neoptolemi quam scena ostendebat, posita erant. Ut in Aeschyli Eumenidibus ita etiam in Andromacha deae statua conspiciebatur; v. 115 sq. Andromacha dicit: *πρὸς τόδ' ἄγαλμα θεᾶς ἱκέτις περὶ χεῖρε βαλοῦσα | τάκομαι κτλ.* Cf. etiam v. 246 *ἄγαλμα Θέτιδος*, v. 311 *θεᾶς βρέτας*.

In Ione denique fabula iterum Apollinis templum tabernaculo repraesentabatur. Creusa, postquam consilium Ionis interficiendi ad irritum cecidit, ad aram ante templum exstructam fugit, cum Ion eam, nesciens se matrem necare velle, insequatur. Quo loco Delphis ara Apollini dedicata sita fuerit, ex illo tempore quo *τέμενος* illud effossum est, scimus. Erat enim adversus introitum templi exstructa et a fronte sexaginta circiter pedes aberat (cf. BCH 1897 p. 266 sqq.) Cum orchestra Athenis, ut iam supra p. 8 memoravi, sex et sexaginta circiter pedes lata esset, illam aram in Euripidis Ione exstructam fortasse triginta pedes a fronte templi afuisse coniciam.

Sed cum de exteriore scenarum habitu reliquarum fabularum vix quidquam dicendum sit, hac de re satis actum sit.

Caput II

De fabulis, in quibus supplices ad aram confugiunt.

His expeditis sequitur ut de fabulis ipsis, in quibus supplices ad aram confugerunt, verba faciam.

Ex Aeschyli fabulis nobis servatis quaestioni nostrae plurima conferunt Supplices, Septem ad-

versus Thebas, Eumenides. Tragoediarum, quarum fragmenta tantum exstant, huc pertinent Ixion et Polydectes et fortasse Eleusinii.

Ixionis fabulae argumentum optime Diodorus Siculus IV 69, 3 servavit (TGF p. 29). Illum enim, cum socerum Deioneum necavisset, nemo expiare voluit. Tum ab ipso Iove lustratus tam ingratum se praebuit, ut scelesto amore Iunonem persequeretur. Quam ob causam Iuppiter nefastum hominem in Orco ad rotam alligavit, quae aeterna vicissitudine torquebatur. Aeschylum illud Ixionis scelus tractavisse etiam fragmento Aeschyleo, quod certae fabulae non tribuitur,[1]) certe demonstratur, cf. frg. 327 (Nauck): *πρὶν ἂν σταλαγμοῖς αἵματος χοιροκτόνου | αὐτός σε χράνῃ Ζεὺς καταστάξας χεροῖν.*

Exstabat autem huius fabulae ea recensio, qua Ixion, postquam ad aram confugit, expiationis particeps factus est. Qua narratione num Aeschylus quoque usus sit, quaeritur. Notam eam illi fuisse duobus Eumenidum locis demonstratur. Eum. v. 441 legitur: *σεμνὸς προσίκτωρ ἐν τρόποις Ἰξίονος* quae verba de Oreste dicuntur, qui supplex ad Minervae imaginem confugit. Quibus ex verbis concludere fortasse possumus Aeschylum, si modo fabulam Ixionem composuit, Ixionem ad aram confugientem fecisse. Alio versu 717: *ἦ καὶ πατήρ τι σφάλλεται βουλευμάτων | πρωτοκτόνοισι προστροπαῖς Ἰξίονος* id modo probatur Aeschylo Ixionis fabulam notam fuisse. Hesychii glossa (II p. 346, 87 ed. M. Schmidt) quam Hartung (Aeschyli frgm. Lipsiae 1855 p. 129) affert: *ἱερεῖτιν* (scil. *χεῖρα*) *καθαρμοῦ δεομένην, ἱκέτιν· Αἰσχύλος Ἰξίονι* nihil comprobatur.

1) cf. Ericum Müller, De Graecorum deorum partibus tragicis (*Religionsgeschichtl. Versuche u. Vorarbeiten* VIII, 3 p. 22)

De Polydecte et Eleusiniis fabulis infra (p. 15 et 18) dicendum erit, cum Euripidis fabulae Dictys et Supplices exponantur.

Ex Sophoclis tragoediis servatis modo una Oedipus Rex nominanda est. Sed complures fabulae, quarum fragmenta sola exstant, hac occasione data commemorari possunt.

Cum in Aiace Locro (TGF p. 132) omnes interpretes putaverint a Sophocle expositum esse, quomodo Aiax tempestate, quae Achivis in patriam revertentibus ad promunturium Caphareum supervenisset, interisset, Nauck. l. l. suspicatur Weickerum (Griech. Trag. I p. 162) argumentum recte petivisse ex Procli chrestomathia (Westphal, Scriptores metrici graeci, Lipsiae 1866 p. 239), ubi legimus: *Κασσάνδραν δὲ Αἴας Ὀιλέως πρὸς βίαν ἀποσπῶν συνεφέλκεται τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ξόανον. ἐφ' ᾧ παροξυνθέντες οἱ Ἕλληνες καταλεῦσαι βούλονται τὸν Αἴαντα· ὁ δὲ ἐπὶ τὸν τῆς Ἀθηνᾶς βωμὸν καταφεύγει καὶ διασώζεται ἐκ τοῦ ἐπικειμένου κινδύνου.* Hoc Aiacis scelus iam a Stesichoro[1]) in Iliupersi tractatum esse ex inscriptione in media parte tabulae Iliacae exstante (cf. tabulam quae apud Paulckium, de tabula Iliaca quaestiones Stesichoreae, diss. Reg. 1897 exstat): *Ἰλίου πέρσις κατὰ Στησίχορον* cognosci potest. In tabula Iliaca vir feminam ab ara retrahens cernitur. Praeterea haec scena saepissime imaginibus, quas J. Overbeck, *Galerie heroischer Bildwerke* p. 635 descripsit, efficta erat. In Sophoclis fabula bipartitum igitur artificium exstabat, cum Cassandra ad aram Minervae ad quam etiam deae statua conspiciebatur, fugeret (cf. imagines modo memoratas). Quin Sophocles etiam Aiacem a Graecis

---

1) cf. K. Seeliger, *Die Ueberlieferung der griechischen Heldensage bei Stesichorus, Progr. d. St. Afra-Schule zu Meissen* 1886 p. 32.

vexatum ad aram confugientem fecerit, dubitari non potest, si modo argumentum fabulae recte ex Procli chrestomathia petitur. Etiam Euripides hanc fabulam noverat, quod ex Troadum v. 69 sq. apparet, ubi Minerva Neptuno dicit: *οὐκ οἶσθ' ὑβρισθεῖσάν με καὶ ναοὺς ἐμούς; | οἶδ' ἡνίκ' Αἴας εἷλκε Κασσάνδραν βίᾳ.* Quamquam hoc loco non dictum est ab Aiace Cassandram *ἀπὸ τοῦ βωμοῦ* retractam esse, tamen Euripidem illam notam mythi formam spectavisse putare licebit.

Athamantis (TGF p. 131) fabulae argumentum in scholiis ad Aristophanis Nub. v. 257 sq. nobis traditur. Ad Strepsiadis verba *ὥσπερ μὲν τὸν Ἀθάμανθ' ὅπως μὴ θύσητε* scholiasta adnotat: *Ἀθάμαντα δὲ ἡ Νεφέλη δίκην αὐτῇ δώσειν διὰ τοὺς παῖδας πεποίηκεν. προαχθεὶς οὖν στεφανηφορῶν ἐν τῷ βωμῷ τοῦ Διὸς σφαγησόμενος ὑπὸ Ἡρακλέους σέσωσται. οὕτω γὰρ Σοφοκλῆς ἐν δράματι πεποίηκεν.* Athamas, qui poenas daturus est, quod liberos Nepheles Phrixum et Hellen necare voluerit, ab Hercule servatur. A quibus autem Athamas moriturus ad aram tractus sit, iam non cognoscimus. Hac in fabula artificium non proprie adhibetur, cum Athamas non supplex ad aram confugiat sed per vim adducatur. Quia autem altera artificii pars, salutem in summo periculo oblatam dico, adest, etiam haec fabula enumeratur.

De Alexandro Sophoclea in Euripide, qui tragoediam eiusdem tituli composuit, verba faciam (cf. p. 19 sq.) Item fabulam *Ἀχαιῶν σύλλογον* tractabo, cum Euripidis Telephum (p. 16) exponam.

Euripides his in tragoediis servatis supplicibus ad aram fugientibus usus est: in Andromacha, Heraclidis, Hercule, Supplicibus,[1]) Ione, He-

1) Idem argumentum atque Euripidis Supplices Aeschyli Eleusinii habuisse videntur, nam Plutarchus (Theseus cap. 29) haec verba facit: *Καταμαρτυροῦσι δὲ τῶν Εὐριπίδου Ἱκετίδων*

lena. Ex fabulis quarum fragmenta tantum servata sunt, complures huc spectant.

De Telephi argumento, fabulae anno 438 actae,[1]) multa scripta sunt, sed pauca modo pro certis haberi possunt.[2]) Hyginum, qui fab. 101 res Telephi narrat, ex Euripide sua mutuatum esse putant.[3]) Ut Achilles vulneri medeatur, Telephus Hygini veste mutata Argos in Graecorum castra ad Agamemnonem venit, ibi autem ab Ulixe cognoscitur. Clytaemestrae consilio adductus, quae propter Iphigeniae mortem Agamemnoni magnopere irascitur, parvulum Orestem de cunabulis rapit et in aram confugit. Ulixes Achilli persuadet, ut Telepho ferrugine hastae medeatur, cum Graecis oraculum obtigisset, sine Telephi ductu Troiam capi non posse. Quo consilio commoti facile Graeci cum Telepho in gratiam redeunt. Telephum, cum ad aram confugeret, Orestem secum rapuisse quamquam Hyginus non narrat, tamen certissimum est, cum et parodia in Aristophanis Thesmophoriazusis et crebris imaginibus ostendatur, quas ad Euripideam fabulam redire O. Jahn in libro qui inscribitur *Telephos und Troilos* (Kiliae 1841) demonstravit. Vide eiusdem librum *Archäologische Aufsätze* (Gryphiswaldae 1845 p. 160 sqq.) Cum autem imagines, quae Telephum cum par-

---

καὶ οἱ Αἰσχύλου Ἐλευσίνιοι, ἐν οἷς ταῦτα λέγων ὁ Θησεὺς πεποίηται. Sed etiam in Eleusiniis Aeschyli supplices ad aram confugientes in scenam prodüsse, suspicari modo non probare possumus.

1) cf. Argumentum Eurip. Alcest. ed. Prinz-Wecklein p. 4.: *ἐδιδάχθη ἐπὶ Γλαυκίνου ἄρχοντος τὸ λ. Πρῶτος Σοφοκλῆς . . . δεύτερος Εὐριπίδης . . Τηλέφῳ.*

2) cf. Welcker, *Griech. Trag.* II p. 477 sq.; Hartung, Euripides restitutus I p. 196 sq.; N. Wecklein, *Sitzgsb. d. B. Akad. München* 1878 vol. II p. 198—223.

3) cf. W. H. van den Sande Bakhuyzen, de parodia in comoediis Aristophanis, Traiecti ad Rhenum 1877 p. 9.

vulo Oreste in ara sedentem ostendunt, cum a Jahnio tum ab aliis viris doctis in compluribus libris descriptae vel depictae sint, hac occasione data libros ad hanc rem spectantes affero. Sunt autem hi: Carolus Pilling, Quomodo Telephi fabulam et scriptores et artifices veteres tractaverint. Diss. Halis 1886; Joh. Overbeck, *Galerie heroischer Bildwerke*, p. 297 sq. tab. XIII, No. 5, 9, 11. Etrusca huius argumenti monumenta inveniuntur apud H. Brunnium, *Relievi delle Urne Etrusche*, vol. I, cap. III, tab. XXVI—XXXIV. Animadvertendum est in omnibus his imaginibus habitum pannosum a comoedia illusum (Arist. Achar. v. 433) non depictum esse. Quae res eo explicatur, quod artifices se non tam anguste ad res, ut in scena ipsa agebantur, adaptaverunt, sed magis dignitatem in picturis effingendis presserunt. Ratio, quae inter fabulam Aeschyli cognominem et fabulam Euripideam intercedat, infra in capite IV exponetur.

Sed etiam in Sophoclis fabula, quae Ἀχαιῶν σύλλογος (TGF p. 161) inscribitur, eadem scena fuisse videtur. Anno enim 1908 amplius huius fabulae fragmentum a Schubartio et de Wilamowitzio[1]) editum et argumentum fabulae accuratius expositum est. In fragmenti initio Orestes nominatus est, et extremi versus eius, quod ibidem legitur, stasimi, ad Telephum Tegeatam directi sunt, qui classem Graecorum ducat, ne iterum erratio fiat. Quos versus chorus modo e Graecis constans canere potuit, et Orestem puerum, cuius nomen exstat, in patria Argis esse nobis putandum est (cf. l. l. p. 67.). Qua ex re argumentum partis cuiusdam Sophocleae illius fabulae cognoscitur, praesertim cum ad Cypria carmen epicum respiciamus, ex quo Proclus haec exscripsit

1) cf. *Berliner Klassikertexte*, V, 2 p. 64 sq.

(R. Westphal, Scriptores metrici graeci, Lipsiae 1866 I p. 235): *Τήλεφον κατὰ μαντείαν παραγενόμενον εἰς Ἄργους ἰᾶται Ἀχιλλεὺς ὡς ἡγημόνα γενόμενον τοῦ εἰς Ἴλιον πλοῦ.* Accuratius Apollodorus in bibliotheca III, 19 eandem rem exponit: *συνελθόντων δὲ αὐτῶν* (scil. *τῶν Ἀχαιῶν*) *ἐν Ἄργει αὖθις . . . ἐν ἀπορίᾳ πολλῇ καθειστήκεσαν καθήμενοι μὴ ἔχοντες ὃς ἦν δυνατὸς δεῖξαι τὴν εἰς Τροίαν. Τήλεφος δὲ εἰς Ἄργος ἀφίκετο καὶ δεηθεὶς Ἀχιλλέως καὶ ὑποσχόμενος τὸν εἰς Τροίαν πλοῦν δεῖξαι θεραπεύεται.* Telephi autem precibus tum demum Graeci cesserunt, cum Oreste parvulo correpto ad aram confugisset. Quam scenam in Sophoclis dramate exstitisse Wilamowitz et Schubart ex nomine Orestis concludunt, quod in initio fragmenti servatum est. Qui viri docti l. l. p. 67 sq. haec verba faciunt: *Glücklicherweise ist ausserdem der Name des Orestes erhalten, so dass wir die Gewissheit haben, dass mit den Kyprien die Geschichte verbunden war, wie Telephos sich den Schutz des Agamemnon verschaffte, nämlich so, dass er mit dessen kleinem Sohne auf den Armen bittflehend an seinem Altare niedersass.*

Iam transeamus ad Dictyn fabulam (TGF p. 459), de qua Apollodorus adhiberi solet, qui in bibliotheca II 4, 1 et 3 res Danaes et Persei explicat, cuius narrationem ad tragoedias Euripidis et Aeschyli, quem tragoediam Polydectem scripsisse scimus, redire, licet non pro certo haberi possit, tamen verisimile est.[1]) Ubi legimus Danaen ab Acrisio patre in arca

1) Tragoediae Euripideae argumentum explorare praeter Welckerum *(Griech. Trag.* II 668 sq.) et Hartungium (Euripides restitutus I 365 sq.) etiam Wecklein conatus est (*Sitzgsb. d. Bayr. Akd. d. Wiss. phil. - philolg. Cl. München* 1888 I p. 109—118). Qui viri docti omnes consentiunt artificium supplicum ad aram confugientium in Polydecte fabula fuisse.

expositam et ad Seriphum insulam deductam regem Seriphi Polydectem in matrimonium ducere cupivisse. Ut Perseum iuvenem de medio tolleret, eum Gorgonis caput quaerere iussit, intereaque matrem eius per vim ad matrimonium cogere conatur. Tum autem Perseus Seriphum reversus matrem, quae cum Dictye, fratre Polydectis et tutore Danaes, ad aram confugerat (Apollodori § 3: *καὶ καταλαβὼν προσπεφευγυῖαν τοῖς βωμοῖς μετὰ τοῦ Δίκτυος τὴν μητέρα διὰ τὴν Πολυδέκτου βίαν*), liberat et Polydectem eiusque amicos aspectu Gorgonis capitis in lapides commutat. Acta est ea fabula una cum Medea et Philoctete anno 431.[1])

Sequitur ut verba faciam de fabula, quae Alexander inscribitur. Fabulam anno 415 a. C. actam esse ex Aeliani verbis v. h. II 8 discimus: *Κατὰ τὴν πρώτην καὶ ἐνενηκοστὴν ὀλυμπιάδα . . δεύτερος Εὐριπίδης Ἀλεξάνδρῳ.* Argumentum Hyginus nobis tradidisse videtur[2]) in fabula 91, ubi haec fere narrat: Hecuba somno commota Alexandrum, ne patriae exitio foret, interfici iusserat. Pastores autem puerum a satellitibus expositum educaverunt et Paridem nominaverunt. Qui cum quondam in ludos funebres qui Troiae fiebant, incidisset, descendit in certamen et omnes vicit et fratres quoque superavit. Indignans Deiphobus gladium in eum strinxit, at ille in aram Iovis Hercei insiluit. Hoc momento fortasse exclamavit verba, quae exstant in frg. 58 (Nauck): *οἴμοι θανοῦμαι διὰ τὸ χρήσιμον φρενῶν | ἣ τοῖσιν ἄλλοις γίγνεται σωτηρία.* Cum vero Cassandra aperiret eum fratrem esse, Priamus agnovit eum regiaque recepit.

---

1) cf. Euripidis Med. argum.: *ἐδιδάχθη ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος ὀλυμπιάδος πζ' ἔτει πρώτῳ· πρῶτος Εὐφορίων . . . τρίτος Εὐριπίδης Μηδείᾳ . . . Δικτυῖ κτλ.*

2) Sic Nauck TGF p. 373 suspicatur.

Sunt igitur tres res praecipuae, quae fabula illa repraesentabantur; primum certamen inter Paridem eiusque fratres, deinde periculum Paridis, cum filii regis pastorem persequerentur, tum Cassandrae vaticinium quis sit Paris, qua re ille e periculo liberatur.[1]) Huius quoque fabulae scena, qua Alexander ad aram fugit, imaginibus in Etruscorum urnis sepulcralibus expressa est, cf. H. Brunn l. l. I tab. I—XVI; J. Overbeck l. l. p. 258 sq.; O. Jahn, *Arch. Beitr.* p. 341 sq. Primus Uhden imagines illas recte interpretatus est *Schriften der Berliner Akademie* 1828 p. 234 sqq. Videmus autem illic Paridem qui tegumento capitis Phrygio cognoscitur, palmam manu tenentem et dextro genu in ara considentem. Duo fratres gladio destricto in eum irruunt, quorum alter a Cassandra retinetur. Etiam Sophocles fabulam Alexandrum composuit, cuius argumentum idem fuisse atque tragoediae Euripideae O. Jahn l. l. p. 341 et Nauck TGF p. 373 suspicantur.

Etiam in Thyestae fabula (TGF p. 480) artificium supplicis ad aram confugientis fuisse imagine ostenditur. Quam imaginem ad Euripidis Thyestem rettulerunt Welcker, *Zs. f. d. Altertumswissenschaft* 1838 p. 233 et K. J. Vogel, *Szenen Euripideischer Tragödien in griechischen Vasengemälden (Archäolog. Beiträge zur Geschichte des griechischen Dramas)* Lipsiae 1886 p. 120 sq. Depicta est pictura illa apud Millingium, *Peintures des vases* tab. 23.

In imagine illa, quae est in vasi Vaticano, describenda Welckerum sequor. Videmus senem in ara sedentem palliatum et tunica interiore indutum. Capilli barbaque albi sunt, manu sinistra gladium tenet.

1) cf. Welcker l. l. II p. 462 sq.; Hartung l. l. II p. 233 sq.

Iuxta eum vir, quem Welcker Atreum esse censet, habitu regio sceptrumque tenens cernitur dextram manum ad hospitem in ara sedentem tendens. Praeterea iuxta aram femina stat, quae, quis sit, habitu cognosci non potest. Millingen l. l. hanc picturam ad Oedipodem Coloneum a Theseo rege auxilium petentem referre voluit, sed iam Welcker, quem Vogel sequitur, imaginem ad Thyestem fabulam redire demonstravit. Thyestes ex exilio reversus in ara domestica fratris consedit, qui ab eo rationem propter peccata priora repetere videtur. Atque cum frágmenta fabulae Euripideae, quae exstant, optime cum imagine consentiant, iure putare possumus artificium illud etiam in Thyeste Euripidis exstitisse.

De Alcmena (TGF p. 386) vide K. J. Vogelium l. l. p. 33; Huddilstonem l. l. p. 179; R. Engelmannum, *Archäologische Studien zu den griechischen Tragikern, Berlin 1900,* p. 52 sqq.

Quantum vasa picta ad argumentum tragoediae alicuius exquirendum prosint, Alcmena fabula optime docetur. Cuius argumentum cum ex fragmentis cognosci non possit, Engelmann ope vasis cuiusdam picti, quod nunc in Museo Britannico est, sagaciter enucleavit. In medio huius vasis aram videmus, ante quam rogus exstructus est. In ara sedet Alcmena, quae dextram manum tollit laeta de Iove e caelo apparente. Ab utroque latere rogi hominem cernimus rogum accensurum, quorum alterum barbatum Amphitryonem alterum iuvenem Antenorem esse nominibus ascriptis cognoscitur. Quorum Amphitryo fulminibus Iovis non perterritus rogum incendere conatur, Antenor vero fugae se mandat. E superiore imaginis parte duae feminae aquam ex amphoris in aram fundentes flammas restinguunt. Hanc imaginem e scena desumptam esse e ratione, qua in supe-

riore imaginis parte (quasi in θεολογείῳ) dei Iuppiter et Aurora, homines autem in inferiore parte apparent, Engelmann l. l. p. 58 ostendit. Iam quaeritur, qualis fabula fuerit, cuius actus in imagine illa depicta est. De comoedia cogitari non posse, cum cultus habitusque personarum imaginis tragoediam saperet, Müller l. l. p. 85 demonstravit. Etiam hoc Müller memoravit, poetas tragoediarum, praecipue autem Euripidem splendido apparatu scenico, qualis in pictura illa cerneretur, usos esse. Et Euripidis tragoedias saepius quam Aeschyli et Sophoclis artifices, qui versabantur in rerum imaginibus effingendis, repetere adamabant (cf. Huddilston l. l. p. 78). Quibus de causis maxime de Euripidis Alcmena cogitandum est, cum quaeratur, ad cuius poetae tragoediam imago illa pertineat. Diiudicavit autem quaestionem Engelmann versus Rudentis Plautinae 83 sqq. afferens, e quibus elucet in hac fabula Euripidea tempestatem maximam ortam esse, id ipsum, quod in imagine cernimus, ubi Iuppiter tempestate ac tonitru intervenit versibus illis: 'detexit ventus villam — quid verbis opust — | non ventus fuit, verum Alcumena Euripidi. | Ita omnis de tecto deturbavit tegulas.' Etiam hoc probatur scenam illam Euripidis, in qua Amphitryon Alcmenam comburere vult, re vera in scena actam, Alcmenam igitur ante spectatorum oculos ad aram confugisse et ab Iove servatam esse (cf. Engelmann p. 62). Si igitur imaginem ad Euripidis Alcmenam referre licet, quaeritur quinam mythus fuerit, in quo Amphitryo habebat, quod Alcmenam uxorem combureret. Ex Hygino fab. 29 et Apollodoro II, 61, quamquam interdum dissentiunt, haec comperimus: Amphitryo ex acie ad Alcmenam maritam regressus suspicatur quendam sibi apud uxorem praevenisse. Quare uxorem, quae tamen

ipsa a Iove decepta est, adulteram esse ratus, rogo comburere facile statuere potuit. Sed fulminibus Iovis, qui summo in periculo Alcmenae auxilium fert, a conatu abducitur. Cum autem fragmenta, quae Euripidis Alcmenae supersunt, fabulae, quam Hyginus et Apollodorus praebent, non contradicant, putare licet, poetam in initio dramatis se huic argumento addixisse. Alteram autem partem ab Euripide ea ratione tractatam esse, quam e pictura illa cognovimus, credere debemus (cf. Müller l. l. p. 86).

De Cretensibus (TGF p. 505) cf. Gustavum Körte, *Urne Etrusche* II, 1, 1890 tab. XXVIII 3, XXIX 4 et 5 et eiusdem commentationem: *Die Kreter des Euripides (Philologische und historische Aufsätze Ernst Curtius gewidmet*, Berlin 1884 p. 197 sq.); O. Jahn, *Archäologische Beiträge*, Greifswald 1845 p. 240 sq.; K. Robert, *Der Pasiphaesarkophag*, Halle 1890 p. 22 sq.; de Wilamowitz, De Graecorum Tragicorum fragmentis (Index schol. Gottingae) 1893 p. 17 sq.; Kuhnert, *Fleckeisens Jahrb. Suppl.-Bd.* XV, p. 192. Euripidem in hac fabula Pasiphaes res exposuisse Timachidas in schol. ad Arist. Ran. v. 849 testatur. Cuius fabulae argumentum, quamquam novum eius fragmentum nuper repertum est, non magis innotuit: hoc unum tantum certum est, hac in fabula expositum fuisse, quomodo ortus Minotauri, quem Pasiphae e tauro concepit, detectus sit et quomodo Phasiphae et Daedalus, qui illi vaccam ligneam ad stuprum efficiendum fecerat, poenam dederint. Ectypis enim in Etruscorum urnis sepulcralibus hoc comprobatur, quorum in plurimis mulier quaedam genibus nixa manus ad regem Minoem tollit. A. Körte in symbolis Curtio oblatis probabiliter coniecit illam feminam Ariadnen, Pasiphaes sororem esse. Pasiphae ipsa et ancilla, quae Minotaurum bracchiis gestat,

iuxta Ariadnen a latere comparent iram regis timentes. Daedalus vinctus in sella humili sedet. Unum tamen ectypum Pasiphaen in ara sedentem ostendit (Körte, *Urne Etrusche* II, 1 tab. 28, 3). Eo Pasiphaen fugisse, ut regis iram effugiat, apertum est. Omnia haec ectypa ad unum idemque Graecum exemplum redeunt, quod de tragoedia deductum videtur, sed quaeritur num etiam apud Euripidem Pasiphae supplex ad aram confugerit, cum hoc ab artifice inventum esse possit (cf. Körte phil.-hist. Aufs. p. 206 sq.). Sed cum sine dubio etiam haec imago ad eundem fontem atque reliquae redeat h. e. ad Euripidem, hoc quoque fieri potuit, ut ectypum, quod Pasiphaen in ara sedentem ostendit, id actionis momentum repraesentet, quod scenae in reliquis imaginibus expressae antecedebat. Ariadna interveniente rex deinde placatur et Pasiphae servatur.

Fragmenta eorum, qui post Euripidem florebant et quos tragicos minores nominare consuevimus, tam pauca sunt, ut de singularum fabularum argumento vix certa coniectura fieri possit, praesertim cum etiam vasorum imagines nos deserant. E nominibus tantum fabularum conici potest, eos eadem argumenta tractavisse, quae Aeschylum, Sophoclem, Euripidem. Ita Ion poeta (TGF p. 783), Astydamas minor (TGF p. 772), Dionysius minor (TGF p. 973) Alcmenam composuerunt, Aeschylus Alexandrinus (TGF p. 824) Amphitryonem, Agathon (TGF p. 764) Cleophon, Iophon (TGF p. 968), Moschion (TGF p. 812) Telephum scripserunt, sed num etiam artificium supplicum ad aram confugientium adhibuerint, iam non dici potest.

Qua de causa non diutius in iis commoremur, sed statim ad comoediam Graecam transeamus. Ex Aristophanis comoediis Thesmophoriazusas

et Acharnenses nominamus quia in utraque fabula scena inest, qua Euripidis Telephus illuditur (cf. schol. ad Achar. v. 332 et ad Nub. v. 919). Thesmophoriazusarum v. 688 Mnesilochus, qui mulieris habitu indutus cognatum Euripidem defendit, postquam a mulieribus furentibus vir cognitus est, dolo se servare conatur, cum ad aram confugiat mulieris infanti correpto mortem minitans; feminae autem ignibus eum ex asylo se compulsuras esse minantur. Mnesilochus, postquam infanti vestem detraxit et se non puerum sed culeum vino completum tenere cognovit, per sagittarium abducitur (v. 1000) et ad palum ignominiosum alligatur, postea autem Euripidis dolo liberatur.

In Acharnensibus iterum Telephus Euripidis illuditur. Ut Telephus Orestem necare vult, nisi Graeci obsequantur, ita Dicaeopolis fiscinam Acharnensium, qua carbones portant, corripiendo ab ira instantium se servat, cf. v. 332 sq. In hac igitur fabula Dicaeopolis non supplex ad aram confugit ut Mnesilochus in Thesmophoriazusis. Sed hoc tantum spectatur, quod Telephus Orestem interficere voluit, non quod ad aram confugit.

Reliquorum poetarum comicorum Graecorum reliquiis non docemur, utrum poetae supplicibus usi sint necne. Antiphanem poetam Athamantis fabulam etiam a tragicis tractatam comice expressisse Kockius (CAF II, 16) suspicatur. Eubulus (CAF II, 177) Ionem fabulam conscripsit. Apud Menandrum una sola scena invenitur, qua artificium illud adhibetur. Est in Perinthia fabula, cuius reliquias ultimum A. Körte in Menandreis edidit Lipsiae 1910 p. 195 sq.[1]) Laches dominus Davum servum, qui

1) cf. etiam A. Körte, Herm. XLIV, 1909, p. 309 sq., ubi fragmentum illud accuratius expositum est; F. Leo ibidem p. 143 sq.

ad aram confugit, ignibus ex asylo pellere vult. Cum Pyrrias servus ad aram ligna cumulet, ipse cum face flagrante appropinquat. Hoc momento sermo, quem in fragmento servato legimus, oritur. Laches servum, qui antea in eis, quae non habemus, dixerat dominos neglegentes et temerarios facile decipi posse, propter haec eius ipsius verba vituperat. Cui Davus obiter se excusare conatur. Sed recte Leo l. l. dicit: *Die vergnügte Sicherheit, mit der Laches den Daos als unrettbar gefangen behandelt, deutet darauf hin, dass sich alsbald für Daos ein glänzender Ausweg finden wird.*

Exemplar Mostellariae fabulae Plautinae, ubi v. 1093 servus ad aram confugit, Philemonis *Φάσμα* erat. Quo verisimile fit etiam apud Philemonem servum ad aram fugisse.

Ex Sicula quae dicitur comoedia Phormi fabula, quae *Ἰλίου πόρθησις* inscribitur, commemoranda est.[1]) Th. enim Panofka *(Komoedienscenen auf Tongefässen. Archäolog. Ztg.* 1849, p. 43—44; *Atlas zur Archäologie der Kunst* tab. 8 f. fig. 4a) imaginem basis cuiusdam ex argilla confectae ad hanc Phormi comoediam rettulit. Quod si verum est, sequitur ut etiam hac in fabula supplices partes egerint. Nam ibi in ara coronis instructa histrio persona et habitu comico ornatus sedet, quem barba alba tiaraque Priamum esse ostendunt. Alter histrio, Neoptolemus iuvenis, gladio stricto seni minitatur.[2])

1) de qua vide Suidam s. v. *Φόρμος. Συρακόσιος κωμικὸς ἔγραψε δράματα ζ' ταῦτα Ἰλίου πόρθησις κτλ.* cf. etiam G. Kaibel, Comicorum Graecorum Fragmenta Berol. 1899 I, 1 p. 148.

2) Praeter habitum personamque, quae ad comoediam pertinent, eadem res in vasis, quibus Troia capta depicta est, efficta est, cf. Mueller, *Denkmäler der alten Kunst,* I, 43, 202;

Hae Graecorum poetarum fabulae et tragicae et comicae mihi afferendae esse videbantur. Iam sequitur ut Romanos poetas tractem, quorum item primum tragoedias deinde comoedias exponam. Tragoedias eo ordine, quo apud O. Ribbeckium[1]) exstant, proferam, nam eo ordine, quo a poetis scriptae sunt, eas proferre iam non possumus. Saepissime autem non accurate diiudicari potest utrum supplices in fabulis partes egerint necne, cum paucissima fragmenta nos de fabularum actione doceant, et imagines, quae ad ludos scenicos referendae esse videntur, raro tantum ad certas tragoedias trahi possint. Ad Naevii[2]) poetae fabulam, quae Lycurgus inscribitur, imago in speculo Praenestino insculpta a viris doctis refertur. Personae nominibus ascriptis cognoscuntur, quorum Lycurgus in ara fugitivus, ut videtur, genu nititur; chlamys enim aere agitata et crines horrentes motum eius significant. Gladium vero in puerum iuxta in ara stantem, quem tamquam obsidem tenere videtur, destrinxit. Puer, cui nomen est Pilonicos, manus ad Taseum[3]) patrem tendit, qui gladio destricto in Lycurgum irruit. Accurrenti Taseo pilleus de capite cecidit et chlamys eum circumvolat. Quale exemplum Naevius in hac fabula componenda secutus sit, nescimus. Agebantur autem in tragoedia Naevii insidiae Libero patri a Lycurgo, qui ad Hellespontum Thra-

---

Gerhard, *Etruskische und Campanische Vasen d. k. Museums* tab. 21; J. Overbeck, *Gall. her. Bildw.*, p. 623 sq.; hae autem imagines ad comoediam illam non pertinent, cum habitus comicus desit.

1) cf. O. Ribbeck, *Die römische Tragoedie im Zeitalter der Republik*, Lipsiae 1897, p. 55 et 61, TRF p. 9 sq.

2) *Monumenti d. inst.*, IX tab. 7, fig. 2; Ephem. epigr. I, p. 15, no. 23.

3) Taseus heros ille esse putatur, a quo Thasos insula nomen duxit, cf. Herod. II 44; VI 47.

cium regnabat, factae. Is, quamquam cum Libero ex Asia in Europam transeunti amicitiam inierat, noctu illum cum omnibus Maenadibus interfici[1]) iussit.[2]) Bacchus autem per Charopem quendam certior factus copiis arcessitis Lycurgum Thracesque devicit. Qua occasione data Lycurgum ad aram confugisse imagine illa supra descripta demonstratur. Animadvertendum est hac in fabula, id quod praeterea apud Senecam modo in Agamemnone invenitur, hominem vexatum, postquam ad aram confugit, non servari. Ennius ita ut Sophocles et Euripides Alexandrum[3]) composuit. Quorum Euripidis eum vestigia legisse probabile fit ex Varronis loco l. l. VII 82: „apud Ennium ‘quapropter Parim pastores nunc Alexandrum vocant’ (TRF p. 22, 5) imitari dum voluit Euripidem et ponere *ἔτυμον*, est lapsus“. Etiam apud Ennium fratres Paridis certamine cum eo contendunt, quod Ribbeck ex fragmento inc. nom. XII: ‘is habet coronam vitulans victoria’, quod ad Alexandrum Ennii rettulit, concludit. Item Paris ad aram confugit ibique servatur eo quod eius origo vera detegitur (cf. Ribbeck, *Röm. Trag.* p. 89). Etiam in Telepho fabula Ennius Euripidem secutus est,[4]) unde apertum fit Ennianum quoque Telephum supplicis partem egisse. Fortasse recte Ribbeck huic fabulae fragm. inc. fab. XVII inseruit: ‘ferro saeptus possidet sedis sacras’, quibus verbis exprimitur Telephum gladio destricto in ara sedere. Ad fabulam Ennianam

1) cf. Diodorum III 65.

2) cf. Ribbeck, *Röm. Trag*, p. 57.

3) TRF p. 19; Ribbeck, *Röm. Trag.*, p. 81; p. 92, adn. 33 libros huc spectantes enumerat. F. Skutsch, P. W. s. v. Ennius V, 2 p. 2593.

4) cf. Ribbeck, *Röm. Trag.*, p. 105; TRF p. 56 et Skutsch loco in adn. priore laudato.

illustrandam maxime ectypa in sarcophagis Etruscorum apta esse viris doctis videntur (H. Brunn, *Urne Etrusche* I tab. XXIX 8, XXXI 12, XXXII 14, XXXIII 15, 16). Cum Telephus in dextra imaginum parte in ara genu nixus Orestem percussurus est, Agamemnon a sinistra parte in eum irruit. Inter utrumque Clytaemestra anxia in genua procubuit et ad Telephum spectans maritum vehementer accurrentem retinet. Item Ulixes bracchium tamquam remoramen Agamemnoni imponit. Artifices igitur illud temporis momentum effinxerunt, quo in summum discrimen ventum est, cum Orestis vel Telephi caedes instet, quae tamen Clytaemestrae et Ulixis prudenti et moderata deprecatione amovetur (cf. Ribbeck, *Röm. Trag.* p. 112). In Eumenidibus (TRF p. 270. Skutsch l. l.) Ennium ad fabulam Aeschyleam retractandam maxime Orestis causa satis nota excitavisse videtur. Ex fragmentis, quae nobis servata sunt (Ribbeck, *Röm. Trag.* p. 146), cognoscimus Ennium etiam in singulis rebus se ad Aeschylum applicavisse. Furias etiam apud Ennium in scenam prodisse iam ex titulo intellegitur. Quod cum certum sit, septenarium versum inc. fab. LXXI: „Erebo procreata fuscis crinibus Nox te invoco" cum verbis Furiarum Aeschyleis 321 sq. *μᾶτερ, ἅ μ' ἔτικτες, ὦ μᾶτερ Νύξ, ἀλαοῖσι καὶ δεδορκόσιν ποινάν κλῦθι* et verbis v. 844 *θυμὸν ἄιε μᾶτερ Νύξ*, quantum conicere licet comparare possumus (cf. Ribbeck *Röm. Trag.* p. 147). Si autem Ennius Aeschylum in eo secutus est, ut Furiae in scenam prodierint, sequitur ut etiam Orestes ad aram confugerit.

Videamus nunc, quaenam Pacuvii fabulae nobis commemorandae sint. Quamquam imagines in vasis pictis habemus (cf. *Monumenti d. Inst.* VIII 15, 1), quas Ribbeck (*Röm. Trag.* p. 241) ad Dulorestem

(TRF p. 91) fabulam rettulit, tamen neque res, quas depictas cernimus, Aegisthum in ara sedentem dico ab Oreste percussum, certo argumento ad hanc fabulam referri possunt, neque, si re vera Pacuvianae sunt, necessario agebantur; commodius fieri enim potuit, ut per nuntium narrarentur. Quare hanc fabulam rectius omittemus. Etiam alia de fabula Pacuvii, quae Chryses (Ribbeck l. l. p. 248 sq., TRF p. 86) inscribitur, dubitari potest, num supplices in ea partes egerint. Argumentum tragoediae solus Hyginus isque (fab. 121) satis inepte tradidisse videtur; secundum quem Orestes cum Iphigenia sorore et Pylade amico, Thoantem regem fugiens, in insulam Sminthen delatus est, ubi se supplices in fidem Chryseos sacerdotis conferunt. Iam vero vix dubitari potest, quin Pacuvius Sophoclis tragoediam Chrysen imitatus sit (Ribbeck l. l. p. 249). Cum autem in Sophoclis fabula vox ἐσχάρα (frg. 662 Nauck) exstet, concludi fortasse potest, etiam apud Pacuvium aram quandam in scena fuisse, ad quam supplices fugisse conicias. Verba *ὦ πρῶρα λοιβῆς Ἑστία, κλύεις τάδε* (frg. 658) Iphigenia dixisse videtur indignata de vi, quae Vestae sedi parabatur (Ribbeck l. l. p. 250). Sed dum haec incertiora esse concedo, id pro certo habeo Sophoclem in fabula sua locum quendam deo sacrum elegisse, in cuius tutelam Orestes confugeret. Supplices autem, quos Chryses iam Thoanti regi tradere volebat, servantur, cum Chryses pater a filia Chryseide audivisset Iphigeniam et Orestem Agamemnonis liberos esse, cui gratum animum sacerdos servabat (cf. Hyg. fab. 120 finem et Ribbeck, *Röm. Trag.* p. 249, 2). Harum rerum similes Pacuvio quoque per coniecturam attribuere possumus (cf. P.W. III p. 2497).

Iam accedamus ad fabulam Pacuvii, quae Periboea inscribitur (TRF p. 111). Ex fragmentis tra-

goediae Pacuvianae non solum cognoscimus Pacuvium idem argumentum quod Euripidem in Oeneo fabula tractavisse (Ribbeck, *Röm. Trag.* p. 303), sed etiam, cum nonnulli versus tragoediae Romanae cum fabula Graeca consentiant, Pacuvium se in nonnullis artissime ad Euripidem applicavisse videmus (cf. frg. 4 Ribbeck TRF et frg. Eur. 567 Nauck TGF). Euripideae autem fabulae argumentum in scholiis ad Aristoph. Acharn. v. 418 traditum est: *γέγραπται τῷ Εὐριπίδῃ δρᾶμα Οἰνεὺς κτλ.* Cuius cum verbis consentiunt, quae Antoninus Liberalis 37 habet. Quibus fontibus nisus Vogel l. l. p. 124 argumenti summam ita restituit ut sumeret Diomedem e bello Thebano reversum (frg. 563 Nauck) avum Oeneum ab Agrio valde pressum invenire et statim ultionem parare (cf. frg. 8 apud Ribbeckium TRF). Apud Pacuvium inter Bacchanalia (frg. 27 et 28) Agrio, 'postquam est oneratus frugum et floris Liberi' (frg. 12 Ribbeck) caedes parabatur. Qua occasione data ara quoque alicuius momenti fuisse videtur. Vogel quidem l. l. p. 125 imaginem in vasi pictam ad Euripidis Oeneum respicere conicit.[1]) Ibi in dextra parte imaginis vir, manus in tergo vinctus, in ara sedet; virum illum Agrium esse inscriptione docemur. E corpore curvato cognoscimus eum timore valde commotum esse. Ante aram Furia nigra, dextra manu serpentem tenens, usque ad coxas apparet. A sinistra parte senex barbatus accurrit, qui habitu et baculo rex esse significatur, quique feminam gradu festinante sequitur; quae ad regem respiciens bracchio collum eius circumdat. Inter aram et feminam regemque ad aram contendentes iuvenis cernitur, qui hasta nixus regi dextra manu gladium obtendit. Quam picturam contra

1) Inghirami, Vas. fitt. I tab. 60; Müller-Wieseler, D. a. K. LXXIV, 957.

varias vetustiorum sententias recte meo quidem iudicio Vogel l. l. p. 126 ad scopum rettulit dum monuit Agrium in Oenei fabula gravissimas partes egisse, eaque de causa hanc picturam ad Euripidis fabulam referre licere. Agrium autem apud Euripidem ad aram confugisse certum esse videtur, quod et imagine modo memorata et fragmento Pacuvii XXIII (Ribbeck) comprobatur: 'quamquam aetas senet, satis habeam virium ut te ara arceam' quae verba Oeneus rex ad Agrium dixisse potuit, priusquam ille ad aram pervenit (Ribbeck, *Röm. Trag.* p. 308). Accedit explicatio imaginis alterius in magna amphora Capuae reperta depictae, quam dederunt Helbig, *Bullett. di corresp. arch.* 1871 p. 123 sq. et Flasch ibidem p. 121.[1]) In basi vel ara vir barbatus habitu tragico sedet, qui desperans sibi crines evellit; hunc Agrium esse sibi persuaserunt. Iuvenis, quem Diomedem putant, chlamyde, caligis, pilleo vestitus, dextra gladium tenens eum aggreditur. Inter utrumque ad sedentem conversus senex barbatus crinibus albis, quem Oeneum appellant, iratus cernitur, qui dextra manu sceptrum tollit. Ad aram corpus mortuum iacet fortasse unius ex Agrii filiis. Tamen haec interpretatio incertior est, quam qua ego uti velim.

Ennii et Pacuvii fabulis tractatis sequitur ut Accii tragoedias perlustremus. Etiam Accius Telephi fabulam tractavit,[2]) qua in tragoedia componenda eum Aeschylum secutum esse verisimile est.[3]) Quamquam ex fragmentis non cognoscitur Accianum Orestem a Telepho correptum esse, tamen veri non est simile Accium illam scenam ex Euripidis temporibus

---

1) cf. Ribbeck, *Röm. Trag.* p. 310, Vogel l. l. p. 127.

2) cf. Ribbeck, *Röm. Trag.* p. 344, Marx P. W. s. v. Accius.

3) Jüthner, *Wiener Studien*, 1901 p. 1 sq.

clarissimam et ab Ennio repetitam auditoribus suis non praebuisse. Ad hanc tragoediam Accianam illustrandam ectypum apud Brunnium (*Urne Etrusche* I tab. XXXI, 11) Schlie[1]) adhibere vult.

Iam transeamus ad eiusdem poetae Atreum (TRF p. 161 sq.) fabulam. Quamquam quale fuerit exemplar fabulae Accii ignotum est (Ribbeck, *Röm. Trag.* p. 456), tamen Thyestem etiam hac in fabula ad aram domesticam confugisse conicere licet. Eum id in initio fabulae fecisse verisimile est; postea ab Atreo dolosis promissis ab ara amovetur. Ille autem, cui supplicem, quem tutum fore fortasse pollicitus erat, interficere nefas est, liberos interficere statuit (Ribbeck, *Röm. Trag.* p. 449).[2])

Cum aliae tum Io (Ribbeck, *Römische Trag.* p. 547 sq. TRF p. 186) inter incertas numeranda est. Nam hoc tantum pro certo haberi potest ipsam Ionem in scenam prodisse, ad quam fortasse referri potest imago in pariete templi Isidis Pompeianae reperta,[3]) quae Ionem fatigatam sub basi simulacri deae, quam Isidem esse conicias, sedentem ostendit. Manu sinistra ramum supplicem vel taeniam tenet. Arbitri huius scenae plenus deorum benivolo habitu adstantium chorus adest. De hac imagine Ribbeck l. l. fortasse recte iudicavit, qui picturam ad finem malorum, quae Ioni perpetienda erant, rettulit. Quod si verum est, conicere licebit etiam in tragicorum fabulis inque ipsius Accii Ione artificium illud exstitisse. Quae scena cum illa Eumenidum Aeschyli

1) *Die Darstellungen des troischen Sagenkreises auf etruskischen Aschenkisten*, p. 57.

2) cf. Aeschyl. Agam. v. 1589 *τὸ μὴ θανὼν πατρῷον αἱμάξαι πέδον | αὐτός.*

3) Ribbeck, *Röm. Trag.*, p. 550 adn. 11.

conferri potest, ubi Orestes ad Minervae simulacrum aggressus absolvitur.

Restat ut de fabulis Amphitryone et Heraclidis Accii verba faciam. Argumentum Amphitryonis quale fuerit omnino non constat (Ribbeck *Röm. Trag.* p. 555; TRF p. 146 sq.). Hartung[1]) et Ad. Schöll[2]) putant et Accium et Sophoclem in fabula Amphitryone idem argumentum tractavisse atque Euripidem in Hercule. Quam ad sententiam fortasse verba (frg. 4): 'sed quaenam haec mulier est funesta veste, tonsu lugubri?' quadrarent, quae ad Megaram dici potuerunt, cf. Euripidis Herc. 525 sq. Fieri igitur potuit, ut etiam apud Accium Hercules suos, ut apud Euripidem, ad aram stantes conspiceret. In Heraclidis (Ribbeck *Röm. Trag.* p. 555; TRF p. 256 sq.) Accium vestigia Euripidis legisse ex nonnullis fragmentis nomine fabulae non adiecto traditis conicit Ribbeck l. l. p. 560. Priscianus quidem fragmentum 16 inc. apud Ribbeckium: 'quorum genitor fertur esse ops gentibus' memorans dicit: 'Accius de Hercule dicens' (cf. Euripidis Heracl. 93). Si ita res se haberet, etiam hac in fabula filios Herculis ad aram confugisse nobis putandum est.

Ex iis quae diximus apparet nos de fabulis tragicorum Romanorum, qui ante Senecam fuerunt, saepissime, quod quidem artificium illud attinet, dubios haerere, cum imagines, quippe quas non semper certo explicare possimus, certae testes non sint. Servata autem nobis sunt fabulae Annaeanae integrae, e quibus nobis nominandae sunt Hercules et Agamemnon.

1) Sophoclis fragmenta p. 149 sq.

2) *Sophocles Werke verdeutscht und erklärt* lib. VIII p. 256 sq.

Hoc modo tragoedia Romana pertractata sequitur ut de comoediis pauca dicamus, quarum argumentum quidem de Graecis comoediis desumptum est. Inter Plauti fabulas huc spectant Mostellaria et Rudens. Terentius autem, cuius omnes fabulae nobis traditae sunt, hoc artificio usus non est. Uno modo loco in Heautontimorumeno, cuius exemplar fabula Menandrea eiusdem nominis fuit,[1]) v. 975 illud cavillatur, ubi Chremes dominus ad servum suum dicit, eum aram sibi parare non debere.

Reliquorum comicorum poetarum fragmenta pauciora sunt, quam quibus certe intellegatur supplices in Romanorum comoediis partes egisse.

Caput III

Quomodo supplices ad aram confugientes a poetis describantur.

Fabulis et tragicis et comicis enumeratis, quibus in ipsa re accuratius tractanda nobis utendum est, proximum est ut de ipsius artificii natura verba faciamus. Atque primum quidem qua arte vetustissimi poetae et in tragoediis et in comoediis artificium illud composuerint quaeramus, deinde quomodo a recentioribus usus mutatus sit.

Cum quaeramus quinam homines ad aram confugere cogantur mirum non est eos numero, sexu, aetate inter se quam maxime differe. Ubi chorus supplicum est, is chorus omnis ad aram vel aras confugit. Hoc fit in Aeschyli Supplicibus, Septem, in Sophoclis Oedipode Rege et Euripidis Supplicibus. Ut eas, quae proprie Supplicum inscribuntur fabulae, praecerpamus, apud Aeschylum quinquaginta filiae

1) cf. Teuffel-Schwabe, *Gesch. d. röm. Literatur* Lipsiae 1890 I p. 183.

cum Danao patre, apud Euripidem septem mulieres, matres virorum ad Thebanorum portas occisorum, una cum Adrasto ad aram confugerunt. Item in Sophoclis Oedipode Rege chorus senum et infantium in aris ante regiam consedit. In reliquis fabulis saepius si non totus chorus attamen complures homines plerumque inter se cognati ad aram confugiunt. In Heraclidis Iolaus senex, Herculis olim comes, cum Alcmena matre Herculis eiusque liberis, in Hercule Amphitryo, Herculis pater, cum nuru Megara, Herculis uxore eiusdemque liberis in ara sedent. Duae personae inter se non cognatae ad aram confugiunt in Polydecte fabula, nempe Danae cum Dictye tutore, et in Euripidis, Aeschyli, Ennii, Accii Telephis: Telephus cum parvulo Oreste. Fortasse idem accidit in Naevii Lycurgo, ubi Lycurgus cum parvulo Pilonico in ara sedens conspiciebatur (supra p. 27).

Plerumque autem homines singuli aut vir aut femina in arae tutelam se conferunt. Unus iuvenis ad aram adest in Aeschyli Eumenidibus et Ixione, in Sophoclis Aiace Locro, in Euripidis (Sophoclis, Aeschyli) Alexandro, senex in Euripidis Oeneo (et Pacuvii Periboea) et Thyeste. Femina quaedam sola ad aram confugit in Euripidis Andromacha, Ione, Alcmena, Cretensibus.

Apud Senecam in Hercule Megara sola ad deorum simulacra stat, item Cassandra in Agamemnone primum sola ad aram se confert, deinde Electra eam sequitur. Animadvertendum est personas, quae in comoedia Graeca, quam novam appellare consuevimus, et in Romana comoedia, conversione νέας illius comoediae, ad aram se conferunt, a tragicis valde differre. In comoedia enim semper is, qui ad aram confugit, servus est ut in Menandri Pe-

rinthia, Plauti Mostellaria et Rudente.[1]) Aristophanes contra hac in re excipitur. Apud eum semel modo artificium illud exstat in Thesmophoriazusis (cf. supra p. 25), ubi Mnesilochus, Euripidis cognatus ad aram fugit. Qua in fabula Euripidis Telephum illudi iam supra memoratum est: omnino enim in comoedia vetere rei publicae instituta hominum mores poetarum opera illudebantur. Tragoedias autem a comoediis in personis adhibendis differre inde explicatur, quod servus, qui in comoediis spectatores turbationibus et fraudibus delectat, ad gravem tragoediae cothurnum non quadrabat.

Proximum est, ut explicemus, quibus causis commoti et supplices ad aram fugiant et insectatores eos persequantur. Saepe supplices in arae tutelam se conferunt, ut preces graviores reddant, eumque a quo petunt, precibus satisfacere cogant.[2]) Ita chorus in Sophoclis Oedipode Rege ad aras se contulit, ut regi necessitatem auxilii contra pestem ferendi imponat (v. 2 et 16). Accuratius autem in versus, a quibus fabula incipit, inquirentes cognoscimus et hac in fabula supplices praecipue in deorum

1) Servus supplex in ara sedens saepissime ab artificibus effictus est. Multae parvae figurae ex argilla effectae servum hoc habitu nobis ostendunt. cf. A. Dieterich, *Pulcinella* p. 12 adn. 2, qui libros huc respicientes enumeravit. cf. etiam A. Körte, *Archäolog. Studien zur alten Komödie, Jahrbuch d. archäolog. Instituts* VIII p. 82 sq. No. 54—61; No. 64 servum infantem bracchio sinistro tenentem repraesentat. Talis scena in tabula Campana, quae in museo Kircheriano adservatur, depicta est. In ara sedet servus *der sich offenbar aus Furcht vor drohender Strafe in den Schutz der geheiligten Stätte geflüchtet hat* (cf. Helbig, *Führer durch die öff. Sammlungen klass. Altertümer in Rom* II² No. 336).

2) Huc Euripidis fabula Thyestes pertineat (supra p. 20 sq.) cum Thyestes ara domestica occupata Atreum fratrem se in amicitiam recipere cogere velit.

tutelam se conferre. Primum apud aras dis supplicare volunt, tum etiam, cum eas aras quae ante regiam Oedipodis conspiciuntur, occupant, regem ipsum cogere cupiunt ut sibi auxilium ferat. Itaque Oedipus v. 2 *τίνας ποθ' ἕδρας τάσδε μοι θοάζετε* dicit et chorus v. 16 respondet *προσήμεθα | βωμοῖσι τοῖς σοῖς*. Reliquus autem populus ad templa Minervae et Ismeni (v. 19 sq.) contendit, ubi auxilium contra pestem a dis se impetraturum esse sperat. Item mulieres in Euripidis Supplicibus (v. 263 sqq.) in ara sedentes Theseum adducunt ut se ad corpora filiorum assequenda adiuvet. V. 301 Aethra Theseum, qui primum supplicibus obsequi moratur, admonet ut arae sanctitatem, a supplicibus occupatae, vereatur atque precibus feminarum satisfaciat, tum v. 334 sqq. rex se matris argumentis convictum esse concedit et supplicibus se obsecuturum esse pollicetur. Plerumque autem supplices aram quasi asylum[1]) contra vexatores petunt. Qui vexatores quales sint iam exponam. Homines mortales eos, qui supplices sunt, insectantur in Aeschyli Supplicibus et Polydecte, Sophoclis Aiace Locro, Euripidis Andromacha, Hercule, Heraclidis, Ione, Alcmena, Cretensibus, Alexandro, Oeneo (Pacuvii Periboea), in Senecae Agamemnone et Hercule. In Aeschyli Septem virgines non proprie premuntur, cum hostes extra muros sint; timore modo commotae deorum ipsorum tutelam desiderant et propterea in aram tuentem contendunt. In Eumenidibus contra Orestes non homines sed Furias eum persequentes fugit. Telephus ad aram fugiendo duas res assequitur, et asylum a Graecis in eum iratis, et ut vulnus curetur. Si autem quaerimus, quae causa sit cur vexatores illos homines,

---

1) de asylo infra in ultimo capite verba faciam, ubi expositurus sum, unde artificium illud in dramata pervenerit.

qui supplices sunt premant, hoc efficitur vel eorum culpa, qui ad aram fugiunt vel eorum, qui supplices persequuntur. Orestes in Aeschyli Eumenidibus ad aram fugit, quia matre occisa a Furiis vexatur, Aiax in Sophoclis Aiace Locro, quia Cassandram per vim a Minervae ara traxerat. Ixion in Aeschyli Ixione propter peccatum in Iovem commissum supplex in ara Iovis sedet item atque Creusa in Euripidis Ione, postquam consilia scelesta patefacta sunt.

Aliter res se habet in Euripidis fabula Cretensibus. Pasiphae, quae cum tauro concubuerat Minotaurumque pepererat, propter hanc culpam a Minoe patre optimo iure vexatur, ut ara ei praesidio esse debeat. Alcmena contra in Euripidis Alcmena re vera non peccavit, cum Iuppiter ipse dolo perfecerit ut Amphitryo uxorem adulteram esse falso censeat proptereaque vivam comburere velit. Saepius autem insectatorum iniuria fit ut supplices arae tutelam quaerere cogantur. Danaides in Aeschyli Supplicibus ad aram confugerunt, ne sibi cum consobrinis matrimonium invisum ineundum esset. Eadem causa commotae et Megara apud Senecam in Hercule furente et Danae apud Euripidem in Dictye in deorum fidem se committunt, cum Lycus Megaram, Polydectes Danaen ad matrimonium cogere conantur. In Euripidis Andromacha Hermiona aemulatione incitata Andromacham una cum filio Molosso interficere vult, in Hercule vero Lycus v. 168, ne Herculis filii se ulciscantur, totam familiam, Amphitryonem, Megaram, liberos necaturus est. Heraclidae porro, cum propter Eurysthei potentiam nulla civitas eos recipere auderet, Marathonem ad aram Iovis Forensis confugerunt.

Causis, quibus commoti et supplices ad aram confugerunt et vexatores eos insecuti sunt, expositis, emolumento erit considerare, quid ex fabulis de sup-

plicum in scenam prodeuntium habitu et gestu discere possimus.

Primum videmus in compluribus fabulis supplices in fabulae initio nondum ad aram tuentem sedere sed sedem demum occupare. Ita Danaides in Aeschyli Supplicibus in dramatis initio parodo perfecta Danai iussu ad tumulum in orchestra exstructum se conferunt et considunt: cf. v. 188 sq. *ἄμεινόν ἐστι παντὸς εἵνεκ᾽, ὦ κόραι, | πάγον προσίζειν τῶνδ᾽ ἀγωνίων θεῶν* et v. 223 sq. *ἐν ἁγνῷ δ᾽ ἑσμὸς ὡς πελειάδων | ἵζεσθε κίρκων τῶν ὁμοπτέρων φόβῳ κτλ.* Sed hac occasione data memorem, quibus dis arae, in scenis nostris exstructae, sacratae sint, et si fieri potest, explicem cur supplices ad illos ipsos deos confugerint. In Supplicibus Aeschyli ara illa *θεοῖς ἀγωνίοις*, qui etiam *θεοὶ πολισσοῦχοι* nominantur (v. 493), sacrata erat. Cum autem illi dei Argos teneant et supplices Argis remanere velint, apertum est supplices illis praecipue deis supplicare debere, in quorum tutela postea vivere cupiunt. In Eumenidibus ara, ad quam Orestes confugerat, Apollini sacra fuit, Orestes igitur ad illum deum, qui eum ad matricidium incitaverat, se contulit; deinde Apollinis iussu Athenas ad aram Minervae contendit. In Septem fabula nomina deorum, quibus ara sacrata erat, vv. 105, 130, 131, 140 exstant.[1]) Etiam hic *δαίμονες πολιοῦχοι* (v. 822) sunt, ad quorum imagines puellae confugerunt. In Heraclidis Euripidis supplices ad aram Iovis Forensis et in Hercule ad Iovem Servatorem, qui igitur servator fiet, confugiunt, qui ab Hercule ipso Minyis victis ara condonatus erat. In Andromacha denique Andromacha ad Thetidis deae fanum et Creusa in Ione ad Apollinis aram, quae Delphis ante templum, loco igitur, quo res agebantur, erecta erat, confugit.

1) Sunt Mars, Minerva, Neptunus, Venus.

Ut in Supplicibus Aeschyli ita etiam in Septem supplices in scena ad aram se conferunt. Etiam Creusa in Euripidis Ione et Cassandra Electraque in Agamemnone Senecae sub fabulae finem aram petunt. Telephum[1]) porro et Danaen[2]) cum Dictye sene apud Euripidem ad aram contendisse, cum res iam agerentur, scimus.

In aliis fabulis contra supplices iam initio fabulae sedes ad aras tenent, ut Orestes in Aeschyli Eumenidibus, chorus in Sophoclis Oedipode Rege, Andromacha in Euripidis fabula cognomine, Iolaus cum Alcmena Herculisque liberis in Euripidis Heraclidis, Amphitryo cum Megara eiusque liberis in Hercule fabula. Ut habitum vero nobis supplicum sub oculos quasi subicere possimus, habemus adhuc statuam[3]) feminae supplicis in ara sedentis. Puella capite paululum erecto anxie fortasse ad caelum, unde auxilium sperat venturum, spectat. Manu sinistra olim ramum tenebat, qui supplicum sollemnis est. Vestis de umero sinistro delapsa est, qua re bene timor significatur, cum puella talem rem ut leviorem non curat. Confecta est statua quinto saeculo exeunte a. Ch. n., tempore quo Euripides complures fabulas, in quibus supplices introduxit, composuit. Cogitare possumus Andromacham vel Creusam simili habitu in scena conspectam esse. Sed unam ex illis feminis statua illa repraesentatam esse ea de causa putari non licet, quia habitu statuae virgo significatur.

Semper fere supplices ramos olivae lana alba circumplicatos secum portare auctores tradunt. Ita

---

1) cf. supra p. 16. sq.

2) cf. supra p. 18. sq.

3) Helbig, *Führer durch die Sammlungen d. Altert. in Rom* I² no. 207 p. 122. Friedrichs-Wolters, *Gipsabgüsse antiker Bildwerke*, Berlin 1885, no. 498 p. 222 sq.

apud Livium, ut testem Romanum afferam, 24, 30 legimus: 'Hippocrates atque Epicydes ramos oleae ac velamenta alia supplicum porrigentes' eqs., et 29, 16, 6: 'decem legati Locrensium obsiti squalore et sordibus in comitio sedentibus consulibus, velamenta supplicum, ramos oleae, ut Graecis mos est, porgentes'. Etiam Plutarchus (Thes. cap. 18) hanc rem testatur cum dicat: *Γενομένου δὲ τοῦ κλήρου παραλαβὼν τοὺς λαχόντας ὁ Θησεὺς ἐκ τοῦ πρυτανείου καὶ παρελθὼν εἰς Δελφίνιον, ἔθηκεν ὑπὲρ αὐτῶν τῷ Ἀπόλλωνι τὴν ἱκετηρίαν. Ἦν δὲ κλάδος ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἐλαίας ἐρίῳ λευκῷ κατεστεμμένος.*

Supplices ramos in ara deposuisse apud Andocidem I, 110 legimus: *κατηγόρησεν δέ μου καὶ περὶ ἱκετηρίας, ὡς καταθείην ἐγὼ ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ, νόμος δ' εἴη πάτριος, ὃς ἂν θῇ ἱκετηρίαν μυστηρίοις, τεθνάναι.* Andocides igitur accusatus erat, quod ramum supplicum in fano Cereris Eleusiniae, quod Athenis erat, deposuerat. Qui autem ramum (*ἱκετηρίαν* scil. *ἐλαίαν*) in ara deponit, eo significat se supplicem esse. In ramo illo *ἱκετηρία* continetur qua deus semper de supplice monetur qui tamen non ita atrociter premitur, ut aram relinquere non possit.

Saepissime autem tragici tradunt supplices ramos secum portavisse. cf. Aeschyli Eumenidum v. 43: *ἔχοντ' ἐλάας θ' ὑψιγέννητον κλάδον.* Aeschyli Suppl. 22: *τοῖσδ' ἱκετῶν ἐγχειριδίοις*[1]) *ἐριοστέπτοισι.* v. 158 *ἱξόμεσθα σὺν κλάδοις, ἀρτάναις θανοῦσαι.* v. 332 *τί φῄς ἱκνεῖσθαι τῶνδ' ἀγωνίων θεῶν, | λευκοστεφεῖς ἔχουσα νεοδρέπτους κλάδους;* v. 354 sq. *ὁρῶ κλάδοισι νεοδρόποις κατάσκιον ... ἀγωνίων θεῶν.* Euripides Suppl. v. 102: *ἱκεσίοις δὲ σὺν κλάδοις κτλ.*

Apud tragicos saepius legimus supplices ramos

1) Scholia vocem exponunt: *τοῖς ἱκετηρίοις θαλλοῖς.*

in ara deposuisse. Ita apud Aeschylum Suppl. 241 sq. *κλάδοι γε μὲν δὴ κατὰ νόμους ἀφικτόρων | κεῖνται πὰρ' ὑμῖν πρὸς θεοῖς ἀγωνίοις.* In eadem fabula Danaus in urbem contendit ut etiam in aris urbis ramos supplicum deponat. Quibus e ramis populus cognoscit, supplices auxilium petentes advenisse. V. 481 sqq. *κλάδους γε τούτους αἶψ' ἐν ἀγκάλαις λαβὼν | βωμοὺς ἐπ' ἄλλους δαιμόνων ἐγχωρίων | θές, ὡς ἴδωσι τῆσδ' ἀφίξεως τέκμαρ.* Dum rami illi in aris iacent, preces supplicum vigent. Itaque rex Danaides monet ut *κλάδους* in ara relinquant, ipsae autem ex tumulo in orchestram se conferant. cf. Aeschyli Suppl. v. 506: *κλάδους μὲν αὐτοῦ λεῖπε, σημεῖον πόνου*, ubi voce *λείπειν* simul exprimitur supplices in tutela fore. In Sophoclis Oedip. R. contra supplices Oedipodis iussu ramos tollunt, quo significatur precationem finitam esse. v. 124 sq. *ἀλλ' ὡς τάχιστα, παῖδες, ὑμεῖς μὲν βάθρων ἵστασθε, τούσδ' ἄραντες ἱκτῆρας κλάδους.* Taenias autem, quibus rami circumplicantur, supplices habent, ut mala propulsent; nam lanam antiquitus mala arcere putabant.[1])

Supplices ad eos, a quibus petunt, manus tendere ex Euripidis Suppl. v. 108 discimus: *τί γὰρ πρὸς ἡμᾶς ἦλθον ἱκεσίᾳ χερί;* Bene etiam de hoc gestu imagine in hydria Caeretana depicta docemur, quae Herculis periculum, quod apud Busirim regem subiit, repraesentat.[2]) Hercules enim, qui ut alii peregrini, qui in Busiridis terram venerunt, immolari debebat, regem necat et inter comites eius caedem facit. Busiris ipse iam mortuus ad aram iacet, cum Hercules complures viros conculcet aliisque manibus fauces elidat. Unus

1) cf. H. Diels, *Sibyllinische Blätter*, Berlin 1890 p. 122. G. Hock, *Griechische Weihebräuche*, Diss. Münster 1905 p. 10 sq.

2) cf. Radermacher, *Über eine Scene des Euripideischen Orestes*. Mus. Rhen. LVII 1902 p. 278 sq.

ad aram confugit, in qua genibus nixus manus precans ad Herculum tendit.[1] Hic igitur homo vexatus manus ad insectatorem tendit, cui hoc gestu supplicat, ut sibi parcat. Nonnumquam etiam manus ad deos, quibus supplicant, tendunt vel aras amplectuntur, et prout a vexatoribus aut a dis auxilium petunt, etiam gestus inter se differunt.

Supplices ad aram fugientes interdum ad genua eius dei a quo petunt vel insectatoris se coniciunt et mentum manumque eorum tangunt, cf. Euripidis Suppl. v. 278 sq.: *πρός σε γενειάδος, ὦ φίλος, χλόην | αὐτοῦ λιποῦσαι φυλλάδος καταστεφῆ | ἄντομαι ἀμφιπίτνουσα τὸ σὸν γόνυ καὶ χέρα δειλαίαν.* Andromacha v. 529 sq. *λίσσου, γούνασι δεσπότου χρίμπτων, ὦ τέκνον* et 537 *τί με προσπίτνεις, ἁλίαν πέτραν.* Etiam fit, ut supplices aram complectantur. Ita Orestes in Aeschyli Eumenidibus umbilicum in ara manu sinistra complectitur, quod et imagines[2] testantur et ex versu Eumenidum 259 elucet *περὶ βρέτει πλεχθεὶς θεᾶς ἀμβρότου.* Optime autem ex Plauti versu Rud. 695 haec res cognoscitur, ubi puellae a lenone vexatae ad aram Veneris confugerunt et deam orant: 'te opsecramus aram amplexantes hanc tuam lacrumantes genibus nixae'. cf. etiam Senecae Herc. v. 503 'complectere aras: nullus eripiet deus te mihi', et Aeschyli

---

1) Qui gestus quid significet G. Appel, De Romanorum precationibus *(Religionsg. Versuche u. Vorarb.* VII, 2 1909 p. 194 sq.) optime exposuit. Primum enim, cum deorum signa et ipsi dei in aequo ponerentur, homines, si deorum signa tangebant, se deos ipsos amplecti putabant. Tum etiam arae ipsae, quippe quae sedes deorum esse putarentur, tangebantur. (Plautus Rud. 694). Paulatim autem hic tangendi mos abiit in manus porrectionem, et ii qui aram vel deum tangere non poterant, manus tendebant eo, ubi dei erat simulacrum, aut deus habitare putabatur.

2) cf. Huddilston l. l. p. 57 et p. 63.

Septem v. 258 *θιγγάνουσ' ἀγαλμάτων*. Cum supplices aram complecterentur, deum ipsum se tenere putabant, nam ara sedes (cf. Aeschyli Suppl. 502 *βωμοὺς θεῶν ἕδρας*) dei est. Qua in opinione etiamnunc reliquias quasdam illius cultus cognoscimus, quo homines deos nullis praesentibus simulacris venerabantur (cf. W. Reichel, *Über vorhellenische Götterkulte*, Wien 1897 p. 46). Hic igitur ara dei sedes est; erat autem etiam veteribus focus eius. Iam quaeritur num talis quoque arae significatio apud tragicos inveniatur. Quod ut cognoscamus, in verba singula, quibus poetae ad aram significandam usi sunt, inquirere necesse est. Ut iam ex versu Aeschyli supra modo memorato apparet, poetae non semper easdem voces adhibebant. Praeter vocem *βωμός* saepissime adhibitam etiam voces *ἐσχάρα*, *ἑστία*, *ἕδρα*, *θυμέλη* inveniuntur. Quae voces, quo modo inter se differant, explicemus necesse est. Voces *βωμός* et *ἐσχάρα* a se alienae sunt.[1]) *Βωμός* eorum deorum, qui Olympum habitabant, erat, cum non dicere possimus, utrum sedes an focus fuerit. *Ἐσχάρα* contra focus erat heroibus et dis inferis dedicatus, in minorem quam *βωμός* altitudinem exstructus. Supplices in foco considere iam versu Homeri (Odyss. VII, 153) demonstratur, ubi Ulixes, qui ad Alcinoum regem advenit, in foco eius supplex considit: *ὣς εἰπὼν κατ' ἄρ' ἕζετ' ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν κονίῃσι | πὰρ πυρί*.

Qui autem in foco sedet, in deorum tutela est, quia focus dis sacratus erat. Euripides vocem *ἐσχάρα*[2]) pro ara utitur in Supplicibus v. 33 sq. *μένω πρὸς*

---

1) cf. P. Stengel, *Griechische Kultusaltertümer* (*I. v. Müllers Handbuch* V, 3) p. 13 sqq.; Reisch P. W. I p. 1663 sq.

2) Vox *ἐσχάρα* significationem foci nunquam amisit, et quoniam arae pars superior sacrificiis igne consumendis inservit etiam *ἐσχάρα βωμοῦ* dici potest. cf. Euripidis Androm 1138 *βωμοῦ κενώσας . . . ἐσχάρας*.

ἁγναῖς ἐσχάραις δυοῖν θεαῖν | Κόρης τε καὶ Δήμητρος. Tum etiam vox *ἑστία* pro ara exstat, quae apud Homerum (Od. XIV, 159) focum significat. cf. Aeschyli Eum. 282 *ἑστία Φοίβου*, Eurip. Androm. 1065 *Πυθικὴν πρὸς ἑστίαν*. Nonnullis autem locis vocem *ἐσχάρα* invenimus, ubi vocem *βωμός* exspectamus. Illis locis voces per metonymiam commutatae sunt. cf. Aeschyli Pers. 205 *ἐσχάρα Φοίβου* et Euripidis Phoeniss. v. 284 *Λοξίου τ' ἐπ' ἐσχάραις*. Si contra *βωμοί* heroibus dedicati memorantur, hoc aliquo iure tum tantum fit cum heroes illi honoribus divinis utuntur. Ubi igitur venerationis divinae mentio non fit, arae non tales sunt, in quibus sacrificetur, sed sedes. Praeter has voces etiam vox *ἕδρα* invenitur, quae sedem deorum significat. Hanc vocem exhibet Aeschylus in Eumenidibus v. 41 *ὁρῶ δ' ἐπ' ὀμφαλῷ . . . ἕδραν ἔχοντα*, Suppl. 345 *πέφρικα λεύσσων τάσδ' ἕδρας κατασκίους*, Suppl. 501 *βωμοὺς ἀστικοὺς θεῶν ἕδρας*, Euripides in Andromacha v. 135 *ἀλλ' ἴθι λεῖπε θεᾶς Νηρηίδος ἀγλαὸν ἕδραν*.

De voce *θυμέλη* denique supra p. 5 dixi, eam omnis rei substructionem significare; quare eam etiam substructionem arae et ita aram ipsam significare posse apertum est. Num etiam sedem deorum significet incertum est. In versu Euripideo (Suppl. 64) *ἔμολον δεξιπύρους θεῶν θυμέλας* idem valet atque focus, sed non diiudicatur, utrum demum voce *δεξιπύρους* apposita voci *θυμέλη* haec vis subiecta sit necne. Ut igitur breviter complectar, quibus vocibus tragici poetae ad aram significandam usi sint, sunt hae: *ἕδρα* sedem deorum, *ἐσχάρα* et *ἑστία* focum significans, *θυμέλη* et *βωμός*, si cum appositis coniunctae sunt, item focum significant. In Aeschyleo illo versu (Suppl. 668) *καὶ γεραροῖσι πρεσβυτοδόκοι θυμέλαι φλεόντων* vocem *θυμέλη* sedem significavisse conicias (cf. supra 5).

Rebus autem, in quibus artificium illud positum est, demonstratis contemplemur quibus verbis poetae artificium ipsum describant. Atque primum quidem exponam quibus de causis personae ad aram fugerint vel fugiant.

In Aeschyli Septem prima scena Eteocles rex, nuntius, chorus adsunt. Nuntius de periculo in quo urbs versatur refert et Eteocle profecto chorus virginum timore commotus ad deorum simulacra confugit. In carmine insequenti auxilium deorum qui Thebas possident, implorant. Iam in hac fabula animadvertimus, ex eo quod chorus apud aram commoratur plurima canticorum argumenta duci. Saepissime enim haec carmina chori precationes vel querelas ad deos, quorum arae sunt, conversas continent.[1]) Eteocles mox revertens in dialogo incitato virgines lamentantes aram relinquere iubet. Sequitur carmen quo puellae molestias obsidionis atque calamitatem urbis expugnatae iterum describunt. Rege denuo profecto mox nuntius in scenam prodit et urbem ab hostibus liberatam esse refert. Hac igitur in fabula non a choro ipso quippe qui postea demum in timorem incidat, sed per nuntium de periculo imminente docemur. At in Supplicibus Aeschyli initio statim chorus Danaidum cum Danao patre in scenam prodeunt, quorum chorus ipse de salute sua desperans periculum in quo versatur exponit et deos orat atque obsecrat ut sibi auxilium ferant, cf. v. 29 *δέξαιθ' ἱκέτην θηλυγενῆ στόλον κτλ.*[1])

Ut omnino chorus apud Aeschylum maximam partem agit, ita etiam in Septem et Supplicibus, prae-

1) cf. etiam Aeschyli Suppl. v. 1—175 et 524—599, Euripidis Suppl. v. 42—95.

2) cf. Septem v. 110 sqq. *θεοὶ πολίοχοι χθονός, ἴτ' ἀθρόοι ἴδετε παρθένων ἱκέσιον λόχον κτλ.*

sertim cum chorus ipse vexetur, illius verbis plurima peraguntur.

In Eumenidibus Pythia, quae fabulam expositura soliloquium instituerat, Orestem in umbilico sedentem a Furiis circumdatum videt, v. 34 sqq. Terrore affecta res visas describit, cetera vero dis permittit. Causas autem cur Orestes supplex in Apollinis templo sedeat Pythia iam non dicit, quoniam omnibus notissimae erant. Deinde Apollo ipse apparens Orestem Athenas ire et ad Minervae simulacrum considere iubet, quo iussu iam res, quae postea Athenis agendae sunt, demonstrantur. Maximum commodum poetae praebebat alias personas de supplicum conditione referentes facere. Quem exponendi modum Euripides maxime ibi quoque adhibuit ubi ab artificio supplicum ad aram confugientiúm argumentum incipiebat.[1]) Ita *ὁ προλογίζων* in Heraclidis et Hercule fabulis cum comitibus supplex in ara sedet, solus in Andromacha et Helena, cum choro in Supplicibus. Hi quattuor prologi a verbis altioribus omnes ordiuntur. Aethra a precatione incipit, Andromacha patriam in qua puella fuit, laudat (v. 16 demum locum in quo nunc versatur memorat), Amphitryo orationem a viva illa interrogatione *τίς τὸν Διὸς ξύλλεκτρον οὐκ οἶδεν βροτῶν | Ἀργεῖον Ἀμφιτρύωνα* orditur, Iolaus a communi sententia, quam in se ipsum deflectit. Deinde autem et Iolaus et Amphitryo sine ambagibus narrant, quod spectatoribus scire necesse est. In his tribus tragoediis (Hercule, Heraclidis, Andromacha) actio deinde celeriter progreditur. Megara Amphitryoni summo dolore inflammata respondet. In Iolaum et Andromacham statim periculum incidit; Iolaum praeco ab Eurystheo missus vix prologum ad finem

---

1) cf. Leo, *der Monolog im Drama* p. 19 sqq.

perducere sinit, et Andromachae ab ancilla nuntiatur puerum Molossum a Menelao quaeri, ut interficiatur. In Andromacha poetae consilium bene perspicitur. Postquam ancilla abiit, Andromacha (v. 91) soliloquium habet, quod a querelis (*οἷσπερ ἐγκείμεσθ' ἀεὶ θρήνοισι καὶ γόοισι καὶ δακρύμασι*) incipitur, quae in monodiam elegiacam transeunt. Apertum est Euripidem Andromachae querelas consuetas in prooemio significare modo, tum demum valde auctas ostendere voluisse. Supplicum prologus artificiosius compositus est (cf. Leo l. l. p. 22). Si non curamus Aethram coram Adrasto choroque verba facere h. e. orationem eius verum soliloquium non esse, forma illius soliloquii nulla in re vituperanda est. Aethra, quae ad sacrificandum venerat (v. 28—31), in ara Cereris supplices invenit, quae ei calamitatem narraverunt eamque oraverunt ut se adiuvet (v. 8—28). Precibus supplicum commota nuntium ad Theseum misit (32—41). Quae omnia Aethra nobiscum paucis versibus communicat. Optime Leo Euripidis artem exponendi explicat cum dicat: *Dies Alles, Gebet und Einführung, Vorstellung des Chors, Anlass seines Flehens, des Adrastos besonders, dessen Bitte, der Anlass ihres Kommens, ihr Verweilen zu Hilfe der Schutzflehenden, die Erwartung des Theseus, dies Alles entwickelt sich wie unwillkürlich in Aithras Munde: es sind keine alten oder neuen Geschichten, die sie erzählt, sondern das eben Erlebte kommt, von der Erregung des Moments auf den gegenwärtigen Anblick und weiter zurück auf das Geschehene greifend, in ihren Worten vor Augen.* Videmus igitur, quanta arte Euripides paucis verbis auditores de supplicum conditione certiores facere sciverit.

De Romanorum praeter Senecam fabulis pauciora scimus, quam ut de arte, qua in expositione de causis,

quibus commoti supplices ad aram confugerint, certiores facti simus, certa dicere possimus. In comoediis Plauti ita ut in Euripidis Ione supplices minores modo partes agunt, quam quas totius fabulae expositio respicere deberet. Aliter res se habet in Senecae tragoediis. Seneca fabulas a soliloquio instituere amat. Ita Iuno in Hercule fabula prologum dicens poetae occasionem praebet res posteriores monstrandi. Deliberat enim quomodo Herculem ipsi odiosum ulciscatur. Hercules uxorem liberosque salvos salutare debet, ut eos postea ipse interficiat (cf. v. 113 'natos reversus videat incolumes precor'). Iam hoc ex versu suspicamur Megaram liberosque a Lyco vexatos ab Hercule servatum iri. In prologo ipso non memoratur Lycum Herculis uxorem eiusque liberos vexare; quos in periculo versari v. 295 demum a Megara subindicatur: 'Magna sed nimium loquor | ignara nostrae sortis.' Sed quale periculum sit ab Lyco ipso audimus, qui Megaram ad matrimonium cogere vult ut regnum stabiliat (cf. v. 501 sqq.). Hic igitur duobus soliloquiis, quae post prologum habentur, et Megari et Lyci comperimus, quae personae in periculo sint et qua de causa ad aram confugiant.

Adhuc exposui quomodo poetae artificium illud, expositione adhibita, induxerint; iam explicabo quomodo id ad finem perduxerint. Venimus igitur ad fabulas ipsas, in quibus supplices ad aram sedentes partes egerunt. Si fabularum argumenta perlustramus, animadvertimus artificium, ut ita dicam, plurimum in duas partes divisum esse. Primum supplices ad aras anguntur, deinde, cum periculum ad summum pervenit, subito ex periculo eripiuntur aut pereunt. Haec bipartita forma exstat apud Aeschylum in Supplicibus, Eumenidibus, Polydecte, Telepho, in Sophoclis Alexandro, in Euripidis Telepho (v. Aesch.),

Dictye (v. Aesch. Polydectem), Andromacha, Heraclidis, Hercule, Supplicibus, Ione, Alexandro (v. Sophocl.), Alcmena, Cretensibus, Oeneo. Etiam apud Romanos eandem formam bipartitam invenimus, in Ennii Eumenidibus (v. Aesch.), Telepho (v. Aesch. et Eur.), Alexandro (v. Soph. et Eur.), in Pacuvii Periboea (v. Eur. Oen.), in Senecae Hercule furente (v. Eur.) et Agamemnone, in Plauti Mostellaria et Rudente (cf. Most. v. 1094 sqq. et v. 1180; Rud. v. 694; 706; 773; 840 sqq.). Simplex quoque artificium invenitur, ita quidem ut altera pars quae continet servationem desit, dico eas fabulas, in quibus supplices ad aram se conferunt, ut preces graviores reddant, ut in Sophoclis Oedipode Rege et fortasse in Aeschyli Ixione; quorum exemplum sit Oedipus: postquam is supplicum precibus se satisfacturum esse pollicitus est, illi aram relinquunt. Apud Euripidem Helena initio fabulae in Protei sepulcro, quod, cum mortui domus esset, aeque ac ara sacrosanctum erat[1]), sedet (v. 64 sq.), quia Theoclymenus, Protei filius, eam in matrimonium ducere acriter cupit. Sed in primi actus fine, postquam dialogum cum Teucro habuit, in regiam cum choro abit, nam nemo eam vexat. Aeschyli Septem propterea hic numero, quod virgines a nullo vexatae sed timore modo commotae ad aram fugiunt, et postea, cum hostium impetus repulsus sit, aram relinquunt. In Senecae fabula Agamemnone item illa bipartita artificii forma invenitur, sed hic supplices non servantur. Sub finem enim primum Cassandra deinde Electra, cum matrem sanguine Agamemnonis aspersam viderint appropinquare, ad aram fugiunt (v. 947 sqq.). 'Adest cruenta coniugis victrix sui .... Concedam ad aras. patere me vittis tuis | Cassandra

1) cf. Schoemann-Lipsius, *Griech. Altert.*, II⁴. p. 273 et 604.

iungi paria metuens tibi.' Clytaemestra Electrae mortem minitatur (v. 971 'morieris hodie'), si ubi Orestes sit aperire recuset. Sed illa sua sponte ab ara recedit v. 972 'recedo ab aris. sive te iugulo iuvat | mersisse ferrum, praebeo iugulum tibi.' Idem postea Cassandra facit cum per vim ab aris abstrahatur v. 1004 'ne trahite, vestros ipsa procedam gradus.' Hae duae puellae summo in periculo non servantur; fabula enim eo finitur, quod Cassandra vi ad mortem abducitur, Electra autem in cavernam subterraneam includitur; v. 1003 'trahite ut sequatur (scil. Cassandra) coniugem ereptum mihi' et antea v. 997 sq. 'abripite famuli, monstrum . . ., ut inquietam virginem | carcer domet.'

Sed iam accedamus ad tres fabulas, in quibus bipartita artificii forma ita adhibetur, ut primum periculum supplicum deinde eorum servatio describatur, dico Aeschyli Supplices, Euripidis Supplices et Heraclidas. Si priorum fabularum, quae quantum ad inscriptionem consentiunt, argumenta inspicimus, eas etiam in rebus congruere cognoscimus.

In Aeschyli Supplicibus chorus feminarum peregrinarum supplicum cum Danao sene quasi duce in scenam prodeunt. Auxilium regis indigetis implorant, ut se ab insequentibus Aegypti filiis tueatur. Rex pollicetur se rem ad populum relaturum esse (v. 516 sqq.) et puellas aram relinquere iubet (508), quae tamen ibi remanent (509). A Danao postquam filiabus felix nuntius relatus est, praeco statim advenit puellasque per vim abstracturus est (836 sqq.). Tum autem summo in discrimine rex redit praeconemque pellit, qui bellum minitans abit.

Non multo aliter res in Euripidis Supplicibus se habent. Etiam hic chorus ex feminis pere-

grinis supplicibus constat, quarum comes senex Adrastus est. Rex regionis Theseus precibus vexatorum se satis facturum esse et Iolai auxilio fretus populi assensum adipisci conaturum esse pollicetur (v. 355). Quod ut efficiatur, cum in urbem contendere velit, praeco advenit, supplices a Theseo repetens, sed a rege pulsus, quamquam bellum minitans[1]) abire cogitur. Postea nuntius in scenam prodit, qui felicem belli eventum narrat, quo supplices demum servatae re vera sunt. Similiter Euripides etiam Heraclidarum actionem composuit. Iterum supplices peregrini, qui et ex puellis et ex iuvenibus constant, a sene Iolao ducuntur. Statim praeco in scenam prodit, qui supplices vi ex sedibus rapturus est, sed a rege eius regionis reicitur. Praeco abit pronuntians Eurystheo bellum iam paratum esse invasuro in Atheniensium fines. Priusquam rex Demophon scenam relinquit, Iolaum adhortatur ut cum liberis aram relinquat. Is autem ibi remanere et victoriam a dis precari mavult. Sed vix supplices ex periculo erepti sunt, cum novum servationis impedimentum exoritur. Rex enim refert virginem pro belli bono eventu mactari necesse esse. Cum autem Macaria sua sponte morti se praebeat, supplices etiam his angustiis liberantur. Sub fabulae finem nuntius Athenienses vicisse refert.

Ex iis quae attulimus apparet illas tres fabulas inter se simillimas esse, non solum quod totam compositionem sed etiam quod singulas personas et earum dicta factaque attinet. Quod per singula repetere necessarium non erit cum facile ipse omnia reperies, si ea quae diductis litteris notavimus, contuleris.

1) cf. etiam Eur. Hel. v. 975 sqq.

Quibuscum fabulis non incommode Aeschyli Septem fabula comparetur, nam etiam hic supplicum sors de belli exitu pendet. Etiam Eteocles sollicitantes virgines ab ara recedere iubet (v. 265). Porro iam in Septem tragoedia artificium illud invenitur, quod laetitia supplicum, postquam servati sunt, non mera est, quod iam ex aliis fabulis novimus. In Euripidis enim Heraclidis Iolaus se liberosque iam servatos esse putat, cum subito regis verbis, qui postulat ut virgo pro fausto belli eventu mactetur, ut nauta qui iam portu conspecto rursus in altum tempestatemque reicitur, novis de salute curis angatur. Item in Aeschyli Supplicibus chorus atque tutor eius Danaus in simili conditione sunt. Danaus, quo momento laetus nuntius in scenam rediens refert Athenienses supplices Danaides recepturos esse, eo ipso tempore classem Aegyptiam videt quare virgines rursus in summum periculum recidunt. Illae fabulae, Aeschyli Septem et Euripidis Supplices dico, in exitu hoc commune habent. Virgines in Septem fabula, quamquam ex periculo ereptae sunt, maiore dolore afficiuntur cum nuntius et Thebanos vicisse et Eteoclem Polynicemque interfectos esse referat. Similia in Euripidis Supplicibus aguntur. Etiam hac in fabula nuntius Theseum vicisse simulque funera ducum reportari narrat. Matres igitur ut illae virgines, quamquam id quod cupiebant adeptae sunt, gaudere non possunt, cum filiorum aspectu rursus bono, quo omnis felicitas contineatur, se privatas esse recordentur.

Sed ut iterum ad Aeschyli et Euripidis Supplices recurram, et fabulas illas vel in scenarum ordine consentire adnotem. In utraque enim fabula primum chorus cum comite sene in scena est, postea rex, post regem praeco prodeunt. Consensus illos tam

numerosos inter Euripidis et Aeschyli fabulam cognominem non fortuitos esse elucet, et Euripidem in fabula componenda Aeschylum imitatum esse consentaneum est.

Haec de tribus illis fabulis dicta satis sint; proximum est ut de Andromacha et Hercule Euripidis verba faciam. Quas fabulas, quamquam iam A. Dieterich (Pulcinella p. 9 sqq.) accuratius comparavit, tamen etiam mihi hoc loco earum fabularum similitudines afferendae sunt, praesertim cum apte hac comparatione ostendatur, quantopere Euripides in artificio semel probato iterumque adhibendo ad easdem formas recurrerit. Praemonere mihi liceat similitudines minores exstare, quae quamvis adsint, tamen fortasse non ex interiore fabularum nexu, sed ex analogia conditionum per se ipsas declarantur. Ita in utraque fabula progenies interficitur, ne ultor e gente superstes sit. Herc. v. 42 sq.: *μή ποθ᾽ οἵδ᾽ ἠνδρωμένοι | μήτρῳ συνεκπράξωσιν αἵματος δίκην* et v. 168 sq.: *οὔκουν τραφέντων τῶνδε τιμωροὺς ἐμοὶ χρῄζω λιπέσθαι τῶν δεδραμένων δίκην.* Andromachae v. 519 sqq.: *καὶ γὰρ ἀνοία μεγάλη λείπειν ἐχθροὺς ἐχθρῶν, ἐξὸν κτείνειν καὶ φόβον οἴκων ἀφελέσθαι.* Eodem etiam summae necessitatis tempore utraque uxor maritum vocat, quem in utraque fabula non adesse consentaneum est. Androm. v. 523 sqq.: *ὦ πόσις πόσις, εἴθε σὰν | χεῖρα καὶ δόρυ σύμμαχον κτησαίμαν, Πριάμου παῖ.* Megara in Herc. v. 494: *ἄρηξον, ἐλθὲ καὶ σκιὰ φάνηθί μοι.* Cui ultimo loco conferri decet Senecae Herc. fur. v. 279, ubi Megara Herculem vocat: 'Emerge, coniunx atque dispulsas manu | abrumpe tenebras'. Fortasse ne hoc quidem minoris momenti est, quod in ambabus fabulis pares mortis voluntariae formae memorantur, quod per se necessarium non erat. Herc. v. 1148 sq.:

κοὐκ εἶμι πέτρας λισσάδος πρὸς ἅλματα | ἢ φάσγανον πρὸς ἧπαρ ἐξακοντίσας. Androm. v. 841 sqq. *τί μοι ξίφος ἐκ χερὸς ἠγρεύσω; | ἀπόδος, ὦ φίλ', ἀπόδος, ἵν' ἀνταίαν | ἐρείσω πλαγάν· τί με βρόχων εἴργεις;* ubi altera mortis voluntariae forma eadem est, altera differt. Item vox *ἐφολκίς* et in Hercule et in Andromacha singulari licet diversa notione occurrere adnotetur. Androm. v. 199 sq.: *πότερον ἵν' αὐτὴ παῖδας ἀντὶ σοῦ τέκω | δούλους ἐμαυτῇ τ' ἀθλίαν ἐφολκίδα;* Herc. 631: *ἄξω λαβὼν γε τούσδ' (τοὺς παῖδας) ἐφολκίδας χεροῖν | ναῦς δ' ὡς ἐφέλξω.*[1]) Ex iis quae attulimus elucet eas scenas similiter compositas esse. Sed iam accedamus ad alias et eas gravissimas similitudines exponendas. Illarum fabularum si compositionem respicimus, primum animadvertimus utramque fabulam ex duabus partibus inter se haud ita bene conexis constare. Herculem tragoediam Euripides ita composuit ut historiam de Megara Amphitryoneque a Lyco vexatis ante fabulam de puerorum caede, quae usque ad Euripidis tempora per se sola tradebatur, collocaverit. Non aliter Andromachae fabula composita est.[2]) Fabulae, quae Neoptolemi mortem tradebat, poeta Andromachae et Molossi angustias eorumque liberationem anteposuit. In utraque fabula pars prior (Herc. inde ab initio usque ad v. 522, Androm. v. 1—543) vel in singulis rebus cum altera consentit. Andromacha sola in ara sedens prologum dicit, in quo de fortuna sua refert v. 43 sqq. *δειματουμένη δ' ἐγὼ | δόμων πάροικον Θέτιδος εἰς ἀνάκτορον | θάσσω τόδ' ἐλθοῦσ', ἤν με κωλύσῃ θανεῖν.* Sequitur sermo ad famulam dictus, deinde chori lamentationes, tum altercatio cum Hermiona, quae Andromacham exstin-

---

1) cf. etiam v. 1425, ubi Hercules, postquam liberos trucidavit, de se dicit: *Θησεῖ πανώλεις ἑψόμεσθ' ἐφολκίδες.*

2) cf. Dieterich, Pulcinella p. 9.

guere vult. V. 161: *κοὐδέν σ' ὀνήσει δῶμα Νηρῆδος τόδε, | οὐ βωμὸς οὐδὲ ναός, ἀλλὰ κατθανῇ.* Hermiona Andromacham aram relinquere iubet v. 253: *λείψεις τόδ' ἁγνὸν τέμενος ἐναλίας θεοῦ;* illa autem cum se in deae fide esse dicens recuset, Hermiona se ignes arae appositurам esse minatur, ut Andromacham ex ara pellat, v. 257: *πῦρ σοὶ προσοίσω, κοὐ τὸ σὸν προσκέψομαι.* Chorus ex feminis Phthiadibus constans stasimon canit; paulo autem post Menelaus cum parvulo Molosso in scenam prodit (v. 309) se puerum occisurum esse minans, nisi Andromacha relicto sacello sua sponte filii vitam redimat. Quibus minis commota vi non allata asylum relinquit v. 411 sq. *ἰδοὺ προλείπω βωμὸν ἥδε χειρία | σφάζειν φονεύειν δεῖν ἀπαρτῆσαι δέρην.* Cum Molosso filio ad mortem parata ex domo venit v. 501, sed iam Peleus advenit ut vexatos liberet.

Quacum comparemus Herculis fabulam. Amphitryonis prologum dialogus inter illum et Megaram sequitur. Post chori lamentationes Lycus, qui et ipse supplices ex ara ignibus pellere vult, cum Amphitryone certat. V. 242 sqq.: *ἐπειδὰν δ' ἐσκομισθῶσιν πόλει | βωμὸν πέριξ νήσαντες ἀμφήρη ξύλα | ἐμπίπρατ' αὐτῶν καὶ πυροῦτε σώματα | πάντων.* Denique ii qui vexantur sua sponte ara relicta in domum abeunt, cum mortem honorificam ignominiae sibi praeferendam esse censeant. Postquam chorus carmen statarium cecinit, ad mortem exornati e domo procedunt. Tum subito Hercules in scenam prodit suosque e summo periculo eripit. Apparet utriusque fabulae actionem pariter productam esse usque ad id temporis, quo infelices ad mortem parati egressi subito liberantur. Sed maiores etiam similitudines inveniuntur. In utraque enim fabula infantes cum pullis, qui sub matris alis se occultant, comparantur. cf.

Herc. v. 71: *οὓς ὑπὸ πτεροῖς | σῴζω νεοσσοὺς ὄρνις ὡς ὑφειμένους* et Androm. v. 441: *ἢ καὶ νεοσσὸν τόνδ' ὑπὸ πτερῶν σπάσας.* Eadem comparatio pari conditione data in Heraclidis occurrit v. 10 sq.: *τὰ κείνου τέκν' ἔχων ὑπὸ πτεροῖς | σῴζω τάδ' αὐτὸς δεόμενος σωτηρίας.* Conferri praeterea potest Heraclid. v. 238: *τὸ μὲν μέγιστον Ζεὺς ἐφ' οὗ σὺ βώμιος | θακεῖς νεοσσῶν τήνδ' ἔχων ὁμήγυριν.* Similiter etiam Andromacha in Troadibus dicit[1]) v. 750 sq.: *τί μου δέδραξαι χερσὶ κἀντέχῃ πέπλων, | νεοσσὸς ὡσεὶ πτέρυγας ἐσπίτνων ἐμάς;* In Heraclidis Iolaus simili modo liberos admonet ut vestem suam attingant v. 48: *ὦ τέκνα τέκνα, δεῦρο λαμβάνεσθ' ἐμῶν | πέπλων.* Hic Iolaus, qui in ara sedens Eurysthei praeconem advenientem vidit, eo quod infantes vestem suam attingunt, arae vim defendentem etiam in liberos transferre vult, Radermacher, v. *Berührungszauber, Arch. Rel. Wiss.* 1911 p. 314. Ut in Hercule ita in Andromacha homines coniunctim ad mortem destinati *ζεῦγος* nominantur, ita ut Andromacha cum Molosso et Megara cum liberis *ζεῦγος* repraesentent, qui consensus non in casu positus esse videtur (cf. Dieterich l. l. p. 9). Herc. v. 441 sqq. *ἀλλ' ἐσορῶ γὰρ τούσδε φθιμένων ἔνδυτ' ἔχοντας τοὺς τοῦ μεγάλου δή ποτε παῖδας τὸ πρὶν Ἡρακλέους, ἄλοχόν τε φίλην ὑπὸ σειραίοις ποσὶν*[2]) *ἕλκουσαν τέκνα καὶ γεραιὸν πατέρ' Ἡρακλέους. δύστηνος ἐγώ, δακρύων ὡς οὐ δύναμαι*

1) cf. etiam Moschi idyll. IV v. 21: *ὡς δ' ὄρνις δύρηται ἐπὶ σφετέρῃσιν νεοσσοῖς,* ubi Megara prolem suam deperditam deplorans cum ave comparatur.

2) Megara lente modo procedere potest, cum liberi eam retineant propterea que trahi debeant. Pedes Megarae liberis *σείραιοι* sunt, quia soli suis pedibus ingredi non possunt. Cum enim equi, qui sub iugo sunt, non sufficiant, alius equus *σείραιος* subiungitur, qui extra iugum currit (cf. Wilamowitz Eurip. Heracl. II² p. 110).

κατέχειν γοαίας ὅσσων ἔτι πηγάς, et v. 454 sq.: *ὦ τέκν' ἀγόμεσθα ζεῦγος οὐ καλὸν νεκρῶν | ὁμοῦ γέροντας καὶ νέοι καὶ μητέρες.* Similiter in Andromacha fabula v. 494 sqq. legimus: *καὶ μὴν ἐσορῶ τόδε σύγκρατον ζεῦγος πρὸ δόμων*[1]*) ψήφῳ θανάτου κατακεκριμένον. δύστηνε γύναι, τλῆμον δὲ σὺ παῖ, μητρὸς λεχέων ὃς ὑπερθνήσκεις οὐδὲν μετέχων οὐδ' αἴτιος ὢν βασιλεῦσιν.* Adnotandum est hos duos locos et eo consentire, quod uterque metris anapaesticis compositus est. Si porro sententia liberos in sepulcro ad pectus matris dormituros esse et in Andromacha v. 510 et in Hercule v. 1360 exstat, id quoque fabulas artissime inter se cohaerere testatur (cf. Dieterich l. l. p. 12). Vide Herc. v. 1360 sqq.: *δὸς τούσδε τύμβῳ καὶ περίστειλον νεκροὺς | δακρύοισι τιμῶν (ἐμὲ γὰρ οὐκ ἐᾷ νόμος) πρὸς στέρν' ἐρείσας μητρὶ δούς τ' ἐς ἀγκάλας | κοινωνίαν δύστηνον κτλ.* et Androm. v. 510 sqq.: *Κείσῃ δή,*

1) Dieterici sententiae *προδρόμων* pro *πρὸ δόμων* scribendum esse assentiri non possum. Nam lectionem *πρὸ δόμων*, quae bonum sensum praebet, tres codices optimi habent, cum *προδρόμων* unus modo codex deterior (Vaticanus 909) praebeat. Praeterea Aeschyli verba Septem v. 211: *ἀλλ' ἐπὶ δαιμόνων πρόδρομος ἦλθον ἀρχαῖα βρέτη*, quibus chorus ab Eteocle propter nimiam lamentationem increpatus se excusat, ad Dieterici sententiam stabiliendam eam ob rem apta non sunt, quod in Septem fabula chorus optime dicere potuit se currentem ad deorum simulacra contendere, non autem hoc de Andromacha et Molosso dici potest, quibus causa ad mortem festinandi non erat. Nostro loco *πρὸ δόμων* scribendum esse etiam Euripidis Phoeniss. v. 296: *ἰὼ . . μόλε πρόδρομος ἀμπέτασον πύλας* demonstratur, ubi *πρόδρομος* non ab omnibus codicibus traditum a correctore codicis Marciani 471 (membran. saec. XII) fortasse Andromachae v. 495 respicienti in *πρόδομος* mutatum est (cf. Weckleinii Phoenissarum editionem ad v. 296). Immo ad verba *πρὸ δόμων* stabilienda ego Euripidis frg. 773 v. 59 sq. afferam ubi similis conditio describitur *ἀλλ' ὅδε γὰρ δὴ βασιλεὺς πρὸ δόμων | κῆρυξ θ' ἱερὸς κτλ.*. Hic et illic homines e domo egrediuntur. De festinatione vero non agitur.

τέκνον ὦ φίλος. | μαστοῖς ματέρος ἀμφὶ σᾶς | νεκρὸς ὑπὸ χθονὶ σὺν νεκρῷ.

Sed iam de Euripidis Ione pauca dicam. Quamquam hac in fabula supplices parvas modo partes agunt, tamen respiciamus necesse est in ea ipsa scena *τὴν περιπέτειαν* positam esse. Etiam huius fabulae artificium in duas partes divisum est; primum Creusa ad aram fugit (v. 1254 sqq.), deinde summo in periculo per Pythiam (v. 1320 sqq.) servatur. Ion Creusam, cuius scelesta consilia patefacta sunt, per vim ab ara trahi iubet. V. 1275 sqq.: *ἀλλ' οὔτε βωμὸς οὔτ' Ἀπόλλωνος δόμος σώσει σ'*[1]) et v. 1266 sqq.: *λάζυσθ', ἵν' αὐτῆς τοὺς ἀκηράτους πλόκους | κόμης καταξήνωσι Παρνασοῦ πλάκες.* Creusa autem se in dei fide esse dicit v. 1282 sq.: *ἀπεννέπω σε μὴ κατακτείνειν ἐμὲ ὑπέρ τ' ἐμαυτῆς τοῦ θεοῦ θ' ἵν' ἕσταμεν.* Denique Ion, cum mulier, quam matrem suam esse nondum rescivit quamque aram relinquere iussit (v. 1306: *ἔκλειπε βωμὸν καὶ θεηλάτους ἕδρας*) non oboediat, stulta deorum instituta esse iudicat, quae etiam scelestis hominibus asyla praebeant. Tum autem Pythia in scenam prodit et Ioni cistam cum fasciis quibuscum expositus erat tradit. Creusa autem, quae cistam illam recognovit aram relinquit[2]) et crepundia, antequam ex arcula promantur, accuratius describendo certissimis argumentis se Ionis matrem esse comprobat. Ex iis, quae attulimus apparet hac in fabula *περιπετείας* artem aliter atque in prioribus institutam esse; quod inde explicatur quod hic duo artificia coniuncta sunt. Alterum enim est *ἀναγνώρισις*: supplex Creusa eo liberatur quod a filio re-

1) cf. Aeschyli Eum. v. 299: *οὔτοι σ' Ἀπόλλων οὐδ' Ἀθηναίας σθένος ῥύσαιτ' ἂν κτλ.*

2) v. 1401: *λείπω δὲ βωμὸν τόνδε, κεἰ θανεῖν με χρή.*

cognoscitur. Quapropter etiam qui vexat per vim amoveri non debet.

Iam transeamus ad compositionem scenarum in comoedia Graeca et Romana et tragoedia Romanorum tractandam.

Apud Aristophanem in Thesmophoriazusis,[1]) Menandrum in Perinthia, Plautum in Mostellaria et Rudente neque aliter apud Senecam in Agamemnone artificium illud unam modo scenam explet, cum in tragoediis graecis plerumque complures scenas in artificio positas esse viderimus. Sed quamquam in comoedia res, ut ex natura huius generis poeseos est, in risum conversae sunt, tamen etiam hic illae duae artificii partes, quas supra p. 50 statuimus, inveniuntur. Ita in Aristophanis Thesmophoriazusis Mnesilochus a feminis vexatus ad aram fugit (v. 589 sqq.), postea vero Euripidis dolo servatur. Feminae eum ignibus ex ara pellere conantur ut apud Euripidem Hermiona Andromacham[3]) Lycus[4]) Megaram Amphitryonemque, Amphitryo[5]) Alcmenam: cf. Thesm.

1) Dum haec imprimuntur, in duas res incido quae de comoediis Aristophaneis commemorentur dignas. *Ἱκετηρίαν* illam quam supra p. 41 sq. memoravi ab hominibus suppliciter in ara sedentibus portari etiam in Aristophanis Pluto, v. 382 sq. legitur: *ὁρῶ τιν' ἐπὶ τοῦ βήματος καθεδούμενον ἱκετηρίαν ἔχοντα μετὰ τῶν παιδίων κτλ.* Tum U. d. Wilamowitz (Sitz. d. Berl Akad. 1911 p. 518 adn. 2) ad. Vesp. v. 875, ubi Bdelycleon Apollini supplicat, dixit aram ante *σκηνήν* Aristophanis temporibus, *schon so zum festen Bestande gehörte, dass der Dichter ihn voraussetzt, auch wo er kaum passt.* Sed primo capite ostendisse mihi videor, aram tum modo in scena conspectam esse cum argumentum illam postularet. Aram ex lapidibus confectam semper in scena fuisse probari quidem non potest.

3) cf. supra p. 57.

4) cf. supra p. 57.

5) supra p. 21 sq.

v. 726 sq.: *ἀλλὰ τάσδε μὲν λαβεῖν χρῆν ἐκφέρειν τε τῶν ξύλων | καὶ καταίθειν τὸν πανοῦργον, πυρπολεῖν θ' ὅσον τάχος.* Retinetur autem a feminis in ara sedens, quoad scelus ad prytanes relatum sit. V. 652: *τουτονί φυλάττετε καλῶς, ὅπως μὴ διαφυγὼν οἰχήσεται* et v. 763 *φύλαξον αὐτόν.* Euripides qui eum servare conatur advenienti prytani fugere cogitur. Mnesilochus a prytani nudus asseri astringi et a Scytha custodiri iubetur (v. 929—946). A quo cum precibus nihil obtineat Andromedam scopulo affixam ex Euripidis fabula agit (1002—1134). Sed quia haec fraus non magis procedit, Euripides eum indutiis cum mulieribus factis ut lena per meretriculam decipiens barbarum custodem abducit (1209). Eo quod quamquam primum aram relinquere coactus est, deinde tamen servatur, haec scena quodam modo cum Euripidis Andromacha et Hercule congruit, nam etiam his in fabulis supplices primum aram relinquunt ut mortem obeant, deinde cum iam nulla salutis spes relicta sit, ex periculo eripiuntur. Aristophanem autem Euripidem hac in fabula componenda, quod artificium illud attinet, imitatum esse propterea non credendum est, quod Aristophanes iam argumento eo ducebatur, ut Mnesilochus, postquam in periculum incidit, etiam liberaretur. Nam argumentum comoediae postulabat, ut supplex ridiculum in modum e periculo eriperetur. Praeterea Aristophanes hanc scenam ea maxime de causa inseruisse videtur ut Euripidem illuderet.

Scenae Menandri Plautique et ipsae cum Aristophane et tragoediis adhuc tractatis multa communia habent, quae cum perpendimus bene perspicimus quantopere comoedia nova e tragoedia, maxime Euripidis, pendeat. In Perinthia Menandri Laches dominus magnopere iratus servum Davum ignibus ex ara expellere conatur (cf. Leo Herm. 44, 1909, p. 144;

Euripidis Andromach., Hercul.). In v. 2 sq. eius fragmenti, quod apud A. Koertium in Menandreis p. 195 exstat, legimus [*ἀπόλωλ*]*ας ἔξεισιν φέρων τὸ πύρδανον* | *καὶ πῦρ πρόδηλον. ὦ Τίβειε καὶ Γέτα* | *ἔπειτα κατακαύσει μ'* Tres comites secum ducens Laches advenit ut Davum, cuius dolus et scelera denudata sunt, capiat. Item etiam in Plauti Mostellaria i. e. Philemonis *Φάσματι* Theopropides (v. 1064 sqq.) cum servis ad Tranionem capiendum in scenam prodit: 'Ilico intra limen isti astate ut cum extemplo vocem | continuo exiliatis.' Theopropides servum, qui ad aram confugit (v. 1093) ignibus ex asylo abigere vult (v. 1114): 'Iam iubebo ignem et sarmenta, carnifex circumdari.'[1])

Idem Labrax leno in Rudente,[2]) cuius exemplar Diphili comoedia fuit,[3]) v. 760 sq. se facturum esse minatur, quod Hermiona in Andr., Lycus in Herc. Euripidis, Amphitryo in Alcmena fecerant. v. 760 sq.: 'ibo hercle aliquo quaeritatum ignem. Dav: Quid quom inveneris. L: Ignem magnum hic faciam.

1) cf. etiam Aristoph. Lysistr. 269 *μίαν πυρὰν νήσαντες ἐμπρήσωμεν αὐτόχειρες.*

2) Totius fabulae actionem item atque Euripidis Herculis et Andromachae in duas partes sed artificiose inter se conexas divisam esse Leo Pl. Forschg. p. 144 sq. ostendit. Prima enim in parte de puellis lenoneque qui naufragium fecerunt, in altera vero de Gripo eiusque piscatu agitur. Quae partes bene inter se eo conexae sunt, quod totius fabulae finis est, ut Palaestrae fortuna solvatur eaque filia Daemonis cognoscatur. Plesidippus enim, qui amicos quosdam ad lenonem corripiendum ex urbe secum duxerat, postea (v. 855) a Trachalione vocatus solus ad Veneris templum abierat. Cum deinde lenonem abduceret, Trachalionem mittit, ut amicos in urbem ire iuberet. Hic autem Gripum observat vidulum Palaestrae ad terram trahentem, eumque impedit ne praedam auferat.

3) cf. M. Schanz, *Geschichte der römischen Literatur*, München 1907, I³, p. 89.

Dav: Quin inhumanum exuras tibi. L: Immo hasce ambas hic in ara ut vivas comburam, id volo.'[1]) Cum Labraci ut puellas Ampeliscam et Palaestram, quae Tranione monente (v. 688) in ara consederunt, ut Creusa in Euripidis Ione choro suadente (v. 1255) asylum petiverat, ignibus pellat non contingat, etiam asylum laedere statuit v. 783: 'meas quidem te invito et Venere et summo Iove | de ara capillo iam deripiam'. Daemones autem puellas tutatur, donec amator Pleusidippus venit lenonemque ad iudicium abducit. Labrax puellas per vim abducere conatur (v. 760, 783, 796) ut preco in Aeschyli Supplicibus (v. 852, 883) et Euripidis Heraclidis (v. 67 et 267).[2]) Daemones servos custodes ante aram relinquit, (v. 807 sqq.) quod iam Arist. Thesm. 652, Menandri Perin. v. 2 occurrit.

Denique artificium apud comicos ita concluditur ut servi in Plauti Mostellaria (i. e. Philemonis *Φάσματι*) et fortasse Menandri Perinthia aliquo deprecante veniam dominorum adipiscantur. Ex hac quoque re apparet, conditiones comoediarum cum tragoediis praesertim Euripidis multis in rebus consentire. Praeterea Leo (Plaut. Forschg. p. 144) monet, Plauti h. e. Diphili scenam in Rudente mirum in modum cum Sophoclis Oedipodis Colonei (v. 720—1043) media parte congruere. Etiam Creon duabus puellis potitur, quamquam illas non ex ara abripuit, postea autem ambae ei eripiuntur. Utque Labrax neque ad puellas

1) Conferenda porro est scena Alcmenae Euripidis supra p. 21 descripta. Hic re vera ara lignis circumdata est quae ut Engelmann l. l. p. 62 ostendit deinde incendebantur.

2) Aliter res se habet in Pacuvii 'Periboea' i. e. Euripidis Oeneo (v. supra p. 31 sq.). Ibi homo quidam, fortasse Agrius, qui ad aram accedere vult, retinetur; cf. frg. XXIII Ribbeck: 'quamquam aetas senet satis habeam virium, ut te ara arceam.'

admittitur neque scenam relinquere potest ita Creon quoque invitus retinetur (v. 909). Sed ex hoc consensu nondum concludendum est Diphilum Sophoclis fabulam illusisse. Ne vestigia quidem Sophoclis eum legisse necesse est, cum poeta et ipse fabulae actione ad eandem artificii formam, a tragicis adamati, duci potuit.

Sed iam scenas ipsas quotquot inveniuntur iterum perlustremus, ut complectamur, quos locos his artificiis ut ita dicam communes h. e. saepius obvios reperire possimus. Quo in munere perficiendo ab eo temporis momento incipio, quo supplices iam ad aram versantur.[1]) Atque primum quidem eos exponam locos communes, quos reperimus in rebus supplicum, deinde eorum qui tutantur, tum eorum qui vexant. Nam ut artificium illud ad finem perducatur, hos tres personarum ordines agere necesse esse ex iis, quae adhuc exposui, elucet. Loci communes autem sunt hi.

Supplices aut in asylo usque ad finem fabulae remanent (Aesch. Suppl. 506 sqq.; Eurip. Heraclid. 344 sqq.) aut antea aram sua sponte relinquunt (Eurip. Androm. 411 sq.; Herc. 319; Senecae Agam. 972, 1004).

Ii qui supplices tutantur verecundia deorum commoti eorum precibus obsequuntur (Aeschyli Suppl. 478; Eurip. Heraclid. 236); similiter etiam Aethra Theseum (Eurip. Suppl. 301) de dis monet, ne optata supplicum neglegens deos iratos reddat. Tutatores supplices monent, ut aram deorum relinquant, qua re praesidium iis pollicentur (Aeschyli Suppl. 505;

1) tracto autem hoc loco eas tantum fabulas, quae legibus, quas supra p. 50 statuimus, conveniunt, non ignorans singulas tragoedias, dico Ionem exempli causa, aliter compositas esse.

Septem 265; Sophocl. Oed. R. 142 sq.; Eurip. Heraclid. 340 sq.), sed supplices non oboediunt, periculum ut videtur adhuc veriti (v. iisdem locis). Porro tutatores primum supplicum precibus obsequi cunctantur, cum rem ad populum sibi referendam esse contendant (Aeschyli Suppl. 365; Eurip. Suppl. 355). Quos locos apud tragicos tantum inveniuntur, cum apud comicos res publicae non respiciantur.

Ii qui vexant supplices minis commovere student ut aram relinquant (Eurip. Androm. 309 sqq., Herc. 238 sqq.), se aram non vereri dicunt in Aesch. Suppl. 893 sq. Eum. 299 sq., Eurip. Androm. 161 sq.; Eurip. Ione 1275. Vexatores supplicibus vim inferre conantur, cum eos vi ex ara trahere cupiant in Aeschyli Suppl. 852 sq., 882 sq.; Plauti Rudente v. 760 sqq., 783, 796; plerumque ignes ad aram se apposituros minantur in Eurip. Androm. 257; Herc. 244; Arist. Thesm. 727, 730; Menandri Perinthia 2 sqq. Plauti (Philemonis) Mostellaria 1114, Diphili Rud. 761 sq., Senecae Herc. fur. 506. Vexator supplices re vera ab ara trahit in Eurip. Heraclidis v. 67. Iis qui supplices tutantur vexantes bellum minantur in Aesch. Suppl. 950; Eurip. Heraclid. 274 sqq., Suppl. 586, 590, 592. Hunc ultimum locum communem in tragoediis tantum inveniri iterum per se patet. Res plerumque ita finiuntur ut supplices a tutoribus liberentur. Qua in re excipiuntur Seneca in Agamemnone et fortasse Naevius in Lycurgo (cf. supra p. 27 sq.). Sed non solum in factis sed etiam in dictis, quae in supplicum ore sunt, consensus numerosi inveniuntur. Quos locos communes, quamquam iam Witte l. l. optime collegit, tamen etiam ego, quatenus quidem ad nostras fabulas pertinent, afferam necesse est, praesertim cum iis bene illustretur poetas veteres artificia semel probata etiam atque etiam adhibuisse.

Atque primum quidem supplicum dicta quae ad tutantes, vel deos vel homines, conversa sunt, deinde ea quae ad vexantes directa sunt, affero.

Supplices semper fere contendunt optata sua iusta aut quae passi vel perpessuri sint iniusta esse. Ita in Aeschyli Supplicibus 402 sqq. chorus Danaidum ad regem Argivorum dicit: *ἀμφοτέρους ὁμαίμων τάδ' ἐπισκοπεῖ | Ζεὺς ἑτερορρεπής, νέμων εἰκότως | ἄδικα μὲν κακοῖς, ὅσια δ' ἐννόμοις. | τί τῶνδ' ἐξ ἴσου ῥεπομένων μεταλγεῖς τὸ δίκαιον ἔρξαι;* et Menelaus ad Theonoam in Euripidis Helena 959: *ἃ δ' ἄξι' ἡμῶν καὶ δίκαι' ἡγούμεθα | . . λέξω* et 994 sq. *τοῖς ἐμοῖς πείθου λόγοις, | ἵν' ᾖς δικαία καὶ δάμαρτ' ἐγὼ λάβω.* In Euripidis Supplicibus 65 matres ad Aethram *ἔχομεν δ' ἔνδικα.* Supplices quae passi vel perpessuri sint iniusta esse exponunt in Euripidis Andromacha 565 sqq. *καὶ νῦν με βωμοῦ Θέτιδος . . . . | ἄγουσ' ἀποσπάντες οὔτε τῷ δίκῃ κρίναντες* et in Heraclidis 187 (Iolaus ad Demophontem): *πῶς ἂν δικαίως ὡς Μυκηναίους ἄγοι | ὅδ'* (scil. praeco Argivorum) *ὄντας ἡμᾶς* et deinde 193: *οὐ γάρ τι Τραχὶς οὐδ' Ἀχαιικὸν τάδε | πόλισμ' ὅθεν σὺ τούσδε τῇ δίκῃ μὲν οὐ | . . . ἤλαυνες.*

Supplices ea hac de causa gravissime premunt, quod tum demum aliquo iure in arae tutelam se conferre possunt, cum optata eorum iusta sint. cf. Tab. def. Att. ed. R. Wuensch (I. G. III, 3 in appendice) no. 98 v. 6: *φίλη Γῆ βοήθει μοι· ἀδικούμενος γὰρ κτλ.* Vexantes contra saepe contendunt, supplices iniuste aram petivisse, propterea que asylum vereri nolunt (cf. Aeschyli Suppl. 918 sqq., Eurip. Heraclid. 59 sqq. et supra p. 66). Supplices a dea petunt, ut sibi auxilium ferat, simul enumerantes quibus in malis sint (Witte l. l. p. 29 sq.), in Plauti Rudente 274 sqq.: 'Nunc tibi amplectimur genua egentes opum | quae

in locis nesciis nescia spe sumus, | ut tuo recipias tecto servesque nos, | miseriarumque te ambarum uti misereat, | quibus nec locus ullus nec spes paratast, | neque hoc amplius quod vides nobis quicquamst'. | In Euripidis Supplicibus matres ad Theseum eodem consilio, ut eius quem obtestantur misericordiam commoveant, v. 280 sq. dicunt: *οἴκτισαι ἀμφὶ τέκνων μ' ἱκέταν ἤ τιν' ἀλάταν | οἰκτρὸν ἰήλεμον οἰκτρὸν ἱεῖσαν.* Huc etiam spectant versus Euripidis Suppl. 269 sqq., ubi matres Theseum de fortuna fallaci admonent: *τῶν γὰρ ἐν βροτοῖς | οὐκ ἔστιν οὐδὲν διὰ τέλους εὐδαιμονοῦν.*

Supplices operam dant, ut ii, quos oraturi sunt benigne aurem advertant; qua de causa blande eos adloquuntur (Witte l. l. p. 21). cf. Aesch. Suppl. 423 sqq. (chorus ad regem) *μήδ' ἴδῃς μ' ἐξ ἑδρᾶν παρθένων | ῥυσιασθεῖσαν, ὦ | πᾶν κράτος ἔχων χθονός.* | Eurip. Androm. 530 sqq.: *ὦ φίλος φίλος, ἄνες θανατόν μοι.* Eurip. Suppl. 113 sq.: *ὦ καλλίνικε γῆς Ἀθηναίων ἄναξ | Θησεῦ, σὸς ἱκέτης καὶ πόλεως ἥκω σέθεν.* ibid. 163: *ἀλλ' ὦ καθ' Ἑλλάδ' ἀλκιμώτατον κάρα | ἄναξ Ἀθηνῶν.* ibid. 277: *πρός σε γενειάδος, ὦ φίλος, | ὦ δοκιμώτατος Ἑλλάδι, | ἄντομαι.* Quae blanditiae ita amplificari possunt ut laudes non ad eum, quem alloquuntur, sed ad urbem Athenas pertineant, quam laudem patriae libenter qui audiebant Athenienses concedebant (Witte l. l. p. 23). Eurip. Heraclid. 189 sqq. (Iolaus ad Eurysthei praeconem): *ἢ τὸν Ἑλλήνων ὅρον | φεύγειν δικαιοῦθ' ὅστις ἂν τἄργος φύγῃ; | οὔκουν Ἀθήνας γ'. οὐ γὰρ Ἀργείων φόβῳ | τοὺς Ἡρακλείους παῖδας ἐξελῶσι γῆς. | οὐ γάρ τι Τραχὶς οὐδ' Ἀχαιικὸν τάδε | πόλισμ', ὅθεν σὺ τούσδε τῇ δίκῃ μὲν οὔ, | τὸ δ' Ἄργος ὀγκῶν, οἷάπερ καὶ νῦν λέγεις, | ἤλαυνες ἱκέτας βωμίους καθημένους.* Eurip. Suppl. 184 sqq. (Adrastus ad Theseum): *τάχ' οὖν ἂν*

εἴποις· Πελοπίαν παρεὶς χθόνα | πῶς ταῖς Ἀθήναις τόνδε προστάσσεις πόνον; | ἐγὼ δίκαιός εἰμ' ἀφηγεῖσθαι τάδε. | Σπάρτη μὲν ὠμὴ καὶ πεποίκιλται τρόπους | τὰ δ' ἄλλα μικρὰ κἀσθενῆ· πόλις δὲ σὴ | μόνη δύναιτ' ἂν τόνδ' ὑποστῆσαι πόνον. Animi eorum, ad quos preces directae sunt, praecipue moventur si supplices confirmant salutem suam in eo, quem orant, uno positam esse; cf. Eurip. Androm. 575 sq.: ῥῦσαί με πρὸς θεῶν· εἰ δὲ μή, θανούμεθα | αἰσχρῶς μὲν ὑμῖν, δυστυχῶς δ' ἐμοί, γέρον (Andromacha ad Peleum). V. Eurip. Suppl. 188 sq. verba Adrasti ad Theseum modo laudata τὰ δ' ἄλλα μικρὰ κἀσθενῆ κτλ. Aut supplices, ut misericordiam moveant, lacrimantes inducuntur (Witte p. 36). Eurip. Suppl. 48 sq. (matres ad Aethram): ἐσιδοῦσ' οἰκτρὰ μὲν ὄσσων | δάκρυ' ἀμφὶ βλεφάροις κτλ. ibid. 284: βλέψον ἐμῶν βλεφάρων | ἐπιδάκρυον κτλ. Eurip. Herc. 1207 (Amphitryon ad Herculem) ἱκετεύομεν . . . | πολιὸν . . . δάκρυον ἐκβαλών.

Ut supplices auxilium eorum qui orantur adipiscantur, animos eorum ad officia adiuvandi advertunt, cum ostendant se eos cognatione attingere. Ita Iolaus in Euripidis Heraclidis pueros Demophonti regi cognatos esse explicat (Witte p. 42). cf. v. 205 sqq.: σοὶ δ' ὡς ἀνάγκη τούσδε βούλομαι φράσαι | σῴζειν, ἐπείπερ τῆσδε προστατεῖς χθονός. | Πιτθεὺς μέν ἐστι Πέλοπος, ἐκ δὲ Πιτθέως | Αἴθρα κτλ. ibid. 212 sq.: πατὴρ ἂν εἴη σός τε χὼ τούτων γεγώς, | γένους μὲν ἥκεις ὧδε τοῖσδε, Δημοφῶν. Similiter matres in Eurip. Suppl. se eiusdem generis esse atque Theseum demonstrant v. 263 sq.: ὃς Πέλοπος ἦν παῖς, Πελοπίας δ' ἡμεῖς χθονός, | ταὐτὸν πατρῷον αἷμα σοὶ κεκτήμεθα. Aut supplices θεοσεβείᾳ eorum, quos orant confidunt. Quapropter in eius dei tutela se esse profitentur, cuius aram occupaverunt et eos quos orant admonent ne preces recusantes dei iram excitent. Ita Danaides in

Aeschyl. Suppl. regem adhortantur ut arae sanctitatem verens se ab Aegypti filiis tutetur (Witte l. l. p. 49) v. 344: *αἰδοῦ σὺ πρύμναν πόλεος ὧδ' ἐστεμμένην | . . . βαρύς γε μέντοι Ζηνὸς ἱκεσίου κότος.* cf. praeterea vv. 381 sqq.; 423 sq.; 427 sq. Eurip. Ion. 1282 sq.: *ἀπεννέπω σε μὴ κατακτείνειν ἐμὲ | ὑπέρ τ' ἐμαυτῆς τοῦ θεοῦ θ', ἵν' ἕσταμεν.* Eurip. Heraclid. 61 sq. (Iolaus ad Copreum): *οὐ δῆτ', ἐπεί μοι βωμὸς ἀρέσκει θεοῦ | ἐλευθέρα τε γαῖ' ἐν ᾗ βεβήκαμεν.* Etiam fit ut supplices minitentur se, nisi votis satisfiat, aram sese interficientes maculaturos esse, quam deorum offensionem in eos redituram esse, qui non auxilium tulerint. cf. Aesch. Suppl. v. 457 sqq. et 461 sq.: *χο. εἰ μή τι πιστὸν τῷδ' ὑποστήσεις στόλῳ | βα. τί σοι περαίνει μηχανὴ συζωμάτων; | χο. νέοις πίναξι βρέτεα κοσμῆσαι τάδε.* 465: *ἐκ τῶν δ' ὅπως τάχιστ' ἀπάγξασθαι θεῶν.* Quibus cum versibus apte comparantur verba, quae Menelaus in Eurip. Hel. v. 980 sqq. facit: *ἢν δ' ἐς μὲν ἀλκὴν μὴ πόδ' ἀντιθῇ ποδί, | λιμῷ δὲ θηρᾷ τύμβον ἱκετεύοντε νώ, | κτανεῖν δέδοκται τήνδε μοι κἄπειτ' ἐμὸν | πρὸς ἧπαρ ὦσαι δίστομον ξίφος τόδε | τύμβου 'πὶ νώτοις τοῦδ', ἵν' αἵματος ῥοαὶ | τάφου καταστάζωσι· κεισόμεσθα δὲ | νεκρὼ δυ' ἑξῆς τῷδ' ἐπὶ ξεστῷ τάφῳ.* Si supplices non re vera peccaverunt, animos eorum, quibus supplicant, eo movere conantur ut illis d e d e c o r i f o r e dicant si optata reiecturi sint (Witte l. l. p. 52). Eur. Androm. 575 sq. (Andromacha ad Peleum) *ῥῦσαί με πρὸς θεῶν. εἰ δὲ μή, θανούμεθα | αἰσχρῶς μὲν ὑμῖν, δυστυχῶς δ' ἐμοί, γέρον.* Eurip. Heraclid. 223 sq. (Iolaus ad Demophontem) *σοὶ γὰρ τόδ' αἰσχρὸν . . . ἱκέτας ἀλήτας συγγενεῖς (ἐκδοῦναι),* Eurip. Suppl. 314 sqq. (Aethra ad Theseum) *ἐρεῖ δὲ δή τις ὡς ἀνανδρίᾳ φρενῶν | πόλει παρόν σοι στέφανον εὐκλείας λαβεῖν, | δείσας ἀπέστης, καὶ συὸς μὲν ἀγρίου | ἀγῶνος ἤψω φαῦλον ἀθλήσας πόνον, | οὗ δ' ἐκ κράνος βλέ-*

φαντα καὶ λόγχης ἀκμὴν | *χρῆν ἐκπονῆσαι. δειλὸς ὢν ἐφηυρέθης.* | Eurip. Hel. 956 (Helena ad Theonoam) *σῶσον. εἰ δὲ μὴ δοκεῖ* | . . *σὺ* . . *γυνὴ κακὴ φανῇ.* Sed non semper ii, qui in angustiis sunt, suppliciter orant, sed etiam minis utuntur, ut id, quod volunt, assequantur. Ita Menelaus in Euripidis Helena (v. 978) minatur se cum Theoclymeno dimicaturum esse, Thelephus etiam Orestem corripit (v. supra p. 6 sq.) ut sua optata adipiscatur. Menelaus in Andromacha (v. 345 sqq.) Molosso capto matrem sacellum relinquere cogit.

Relinquitur, ut eos locos communes afferam, qui in supplicum dictis ad vexantes conversis reperiuntur. Sunt autem hi. Vexatorum misericordiam movere conantur: Telephus Eur. de fortuna fallaci monens in frg. 716 (Nauck), quod ad eam scenam, in qua supplex in ara sedebat, referre licebit, dicit: *σὺ δ' εἴκ' ἀνάγκῃ καὶ θεοῖσι μὴ μάχου·* | *τόλμα δὲ προσβλέπειν μὲ καὶ φρονήματος* | *χάλα. τά τοι μέγιστα πολλάκις θεὸς* | *ταπείν' ἔθηκε καὶ συνέστειλεν πάλιν.* Andromacha in Euripidis Androm. v. 352 sq. lacrimans Menelai misericordiam movere studet: *λείβομαι δακρύοις κόρας,* | *στάζω λισσάδος ὡς πέτρας* | *λιβὰς ἀνήλιος ἁ τάλαινα.* Alii supplices, ut magnum animum ostendant, quamvis angustiis pressi tamen vexatores suppliciter orare spernant. Eurip. Herc. 228 sqq. (Megara ad Lycum): *ἀλλ' ὡς λόγοισι τόνδε μαλθάξαιμεν ἄν;* | *ἥκιστα· φεύγειν σκαιὸν ἄνδρ' ἐχθρὸν χρεών,* | *σοφοῖσι δ' εἴκειν καὶ τεθραμμένοις καλῶς.*

Eurip. Androm. 458 sqq. (Andromacha ad Menelaum): *νῦν δ' ἐς γυναῖκα γοργὸς ὁπλίτης φανείς* | *κτενεῖς μ'; ἀπόκτειν'· ὡς ἀθωπευτόν γέ σε* | *γλώσσης ἀφήσω τῆς ἐμῆς καὶ παῖδα σήν.*

Iam restat ut de affectibus, quibus qui partes agunt commoventur, verba faciam. Quales affectus cum poetae vel metris, quibus usi sunt, vel sticho-

mythia descripserint,[1]) haec quoque respiciamus necesse est. Iam supra in fabulis enarrandis vidimus quam varie hominum animi apud aras laborent, quanto furore animi eorum qui supplices vexant vel tutantur, quanta etiam laetitia animi supplicum, cum ex periculo erepti sint, afficiantur.

Saepissime poetae ad affectus describendos stichomythiam adhibuerunt. Maxime hoc evenit in scenis, quibus rixae inter vexantes et supplices aut inter tutantes et vexantes continentur.[2]) Plerumque duo homines propter supplicem certant ut in Aeschyli Supplicibus v. 916—929, ubi filiorum Aegypti praeco cum rege de puellis, quas vi abducturus est, acriter contendit, et in Euripidis Heraclidis v. 253—273, ubi Demopho Eurysthei nuntium impugnat. Atque tam vehementer certant, ut iam in eo sit ut manus conserant, nisi chorus in summo discrimine se interponat (v. 271—272). Non aliter res se habet in Supplicibus Euripidis v. 566—580, quibus versibus rex Theseus praeconem ipsum, qui matres supplices ex asylo pelli iubet, ipse pellit. Etiam in iis scenis, in quibus supplex cum vexanti certat, stichomythia invenitur. Ita Andromacha Euripidea Hermionae accusationes reicit (v. 236—260) et Orestes cui postea Apollo accedit Athenis cum Eumenidibus certant. cf. Aesch. Eum. v. 558—608 et 711—730. Similiter in Aeschyli Septem (v. 245—264) rex feminas propter lamentationes valde iratus accusat, quae cum illo per stichomythiam certant. Porro cum artificio illo n u n t i i coniuncti

---

1) cf. Dieterich, *Schlafscenen auf d. att. Bühne*, Mus. Rhen. XLVI 1891, p. 26 sqq. qui ostendit quomodo Euripides in Hercule 1016 sqq. et Sophocles in Trachiniis 947 sqq. affectus metris pingere sciverint.

2) A. Gross *Die Stichomythie in der griechischen Tragödie und Komödie. Berlin* 1905, p. 72 sq.

sunt, cum supplices ipsi in ara versari debeant, res autem saepe alio loco agantur. Etiam his nuntiis animi excitantur. Ita in Aeschyli Septem v. 803—812 nuntius refert, hostes pulsos esse, fratres autem Polynicem et Eteoclem caede mutua cecidisse; quo nuntio audito feminae laetitia quidem magna, simul autem summo dolore afficiuntur (v. supra p. 54). Ut in Aeschyli Septem ita etiam in Euripidis Heraclidis animi nuntii verbis incenduntur cum praeco Hyllum cum exercitu advenisse referat (v. 632—641).

Et eis quoque locis, quibus homo quidam angore vexatus aliquid ex alio quaerit, stichomythia oritur, qua animos maxime incitari videmus.[1]) Ita in Euripidis Andromacha v. 435—444 stichomythia exstat, ubi Andromacha a Menelao comperire studet, num etiam Molossum interfecturus sit, ille autem cum ea communicat se Molossum Hermionae interficiendum traditurum esse. Affectus autem, quo animi afficiuntur, non solum certaminibus aut gravibus nuntiis excitatur, sed etiam saepe nuntiis laetis, quibus supplices comperiunt se servatos esse; imprimis cum homines, qui vexatos ex periculo eripiunt, inopinato in scenam prodeant, supplicum animi laetitia magnopere excitantur. Qua in re animadvertimus voces quibus vexati nuntios vel nuntii vexatos salutant vel servatoribus gratias agunt in pluribus fabulis inter se similes esse. Exempla haec affero:

Aesch. Sept. 792 (nuntius ad chorum) *θαρσεῖτε παῖδες μητέρων τεθραμμέναι.* Aesch. Suppl. 600 (Danaus ad filias) *θαρσεῖτε παῖδες, εὖ τὰ τῶν ἐγχωρίων κτλ.* Eurip. Suppl. 634 (nuntius ad matres) *γυναῖκες, ἥκω πολλὰ ἔχων λέγειν φίλα σέθεν.* Eurip. Heraclid. 630 (servus ad Iolaum puerosque) *ὦ τέκνα χαίρετ᾽ κτλ.*

1) cf. Gross l. l. p. 74.

et ibidem v. 784 (nuntius Demophontem vicisse refert) *δέσποινα, μύθους σοί τε καλλίστους φέρω | κλύειν λέγειν τε τῷδε συντομωτάτοις.* ibidem 660 (Alcmena ad famulum) *ὦ χαῖρε καὶ σὺ τοῖσδε τοῖς ἀγγέλμασι κτλ.* ibid. 640 (Iolaus ad famulum) *ὦ φίλταθ', ἥκει ἄρα νῷν σωτὴρ βλάβης.* ibid. 788 *ὦ φίλταθ' ἥδε σ' ἡμέρα διήνυσεν | ἠλευθερῶσθαι τοῖσδε τοῖς ἀγγέλμασιν.* Eurip. Suppl. 641 (chorus ad nuntium) *ὦ φίλτατ' εὖ μὲν νόστον ἀγγέλλεις.* Eurip. Herc. 531 (Megara et Amphitruo Herculem salutant) *M: ὦ φίλτατ' ἀνδρῶν, A: ὦ φάος μολὼν πατρὶ | ἥκεις, ἐσώθης κτλ.*[1]) Eurip. Ion 1437 (Ion Creusam, quam recognovit, matrem salutat) *ὦ φιλτάτη μοὶ μῆτερ ἀσμενός σ' ἰδὼν κτλ.* et Creusa 1439 filium salutat: *ὦ τέκνον, ὦ φῶς μητρὶ κρεῖσσον ἡλίου.*[2])

Supplices servatores etiam ita salutant ut eis gratias simul agant. Aesch. Suppl. (chorus gratiam Argivis exprimit) 625: *ἄγε δή, λέξωμεν ἐπ' Ἀργείοις εὐχὰς ἀγαθάς, ἀγαθῶν ποινάς.* ibidem 1024 *αἶνος δὲ πόλιν τάνδε Πελασγῶν ἐχέτω.* Eurip. Androm. 750 (Andromacha Peleo gratias agit) *ὦ πρέσβυ, θεοί σοι δοῖεν εὖ καὶ τοῖσι σοῖς | σώσαντι παῖδα κἀμὲ τὴν δυσδαίμονα.* Adnotandum est haec verba, quibus personae salutantur, nunquam plane consentire. Quantopere poetae hac in re de artificio illo pendeant, tamen unusquisque peculiare ingenium praestat, cum verba singula variet.

Restat ut artificia, quibus poetae timorem supplicum descripserint, memorem. In Aeschyli Suppli-

1) Hoc quoque loco bene perspicitur quomodo poeta animorum emotionem stichomythia exprimat.

2) Animadvertendum est etiam huius in fabulae partibus, quibus Ion cum Creusa certat deinde eam matrem suam esse cognovit (1262—1311 et 1402—1433), homines igitur summo furore vel angore et summa laetitia afficiuntur, stichomythiam inveniri.

cibus, quae fabula maiore ex parte canticis componitur, etiam timor carmine exprimitur quippe cum chorus ipse sit, qui timeat. In carmine v. 775 sqq. sollicitudo chori optime metris iambicis cum creticis et baccheis permixtis et crebris membrorum solutionibus (808—824) pingitur. Item in Septem fabula chorus feminarum timorem in carminibus 287—368 et 720 usque ad 791, ubi iterum praecipue metra iambica cum ionicis, dochmiis, creticis pedibus permixta exstant, exprimit.

Ut iam transeamus ad voces quibus supplices utuntur, ut metum significent, saepe easdem vel similes esse debere elucet ex conditionibus similibus, in quibus homines vexati versantur. Duo modo exempla afferam ex Aeschyli Septem 287: *φόβῳ δ' οὐχ ὑπνώσσει κέαρ* et 720 *πέφρικα τὰν ὠλεσίοικον θεόν.* Suppl. 784: *ἄφυκτον δ' οὐκ ἔτ' ἂν πέλοι κέαρ | κελαινόχρως δὲ πάλλεται μου καρδία.*

In Euripidis Andromacha et Hercule personae, quae ad supplicium trahuntur, precibus neglectis fortiter mortem, quae evitari non potest, occumbere volunt. Verba, quae et Andromacha et Amphitryo faciunt, inter se simillima sunt. Androm. 411 sq.: *ἰδοὺ προλείπω βωμὸν ἥδε χείρια | σφάζειν φονεύειν, δεῖν, ἀπαρτῆσαι δέρην.* Herc. 319 sq. *ἰδοὺ πάρεστιν ἥδε φασγάνῳ δέρη κτενεῖν φονεύειν ἱέναι πέτρας ἄπο.*

Ut in tragoediis ita etiam in comoediis Graecis et Romanis artificium illud proprie summa cum animorum excitatione coniunctum est. Quod fragmento nobis de Menandri Perinthia servato bene ostenditur. Cum Laches Davum servum ex asylo pellere conetur, animi magnopere inflammati sunt; quod ex metris iterum cognoscimus, cum non stichomythia modo exstet (v. 10 sqq.), sed etiam alter alterum interrumpat ut hemistichia exsistant. Similia

sunt in Plauti (i. e. Philemonis) Mostellaria et Rudente (Diphili). In Mostellariae ea parte, qua Theopropides servum, qui ad aram confugit, increpat, stichomythia (v. 1090—1120) bene animi emotionem pingit. Oratio et responsio tam celeriter sequuntur ut saepe unus versus in quinque partes divisus sit (v. 1097, 1108). Etiam in Rudente v. 760—768 et 772 sqq., ubi Labrax leno cum Daemone et Trachalione certat, stichomythia, immo, ut ita dicam, hemistichomythia invenitur.

Neque vero solum animi supplicum vel eorum, qui supplices vexant vel tutantur, sed etiam spectatorum animi hoc artificio adhibito valde excitantur. Ut pauca modo exempla afferam: cum in Aeschyli Supplicibus a choro ipso comperiamus qua in mala conditione sit statim spectatores attenti fiunt, cum nesciant, num sors supplicum in malam aut in bonam partem disceptetur. Quo longius sermo procedit, eo magis excitamur, cum Danaus ex urbe rediens referat, populum supplices excipere velle. Quantopere autem animos spectatorum commotos esse putas, cum praeco adveniat, qui feminas per vim abducere vult! Et quomodo censes spectatores concitatos esse, cum in Alcmena Euripidis Amphitryon ligna arae apposita re vera incenderet ut Alcmenam combureret![1]) Summa etiam excitatio spectatorum in Telepho et Alexandro fuerit, cum et Telephus Orestem se interfecturum esse minaretur et fratres in Alexandrum invaderent. Huic studio vel prologi ubi exstant inserviunt qui ambitu suo impediunt ne spectatores supplicum servatione nimis subita violentur; immo eorum animos

1) Hac in fabula aram prope σκηνὴν exstructam fuisse necesse est, cum aliter atque de scenae tecto ignes desuper exstingui non possent. cf. supra p. 21.

excitare student ut eo magis, cum de personarum conditione certiores facti sint, iis timeant.

Scenas ipsas, in quibus supplices ad aram fugiunt, perscrutati, iam quaeramus, quem locum hoc artificium in totius fabulae compositione occupet. In compluribus fabulis supplicum partes totam actionem explent, ita quidem ut supplicum servatio is finis sit quem totius fabulae actio petit. In Aeschyli Supplicibus tota tragoedia e supplicum sorte pendet. Cum sub finem fabulae populus concesserit ut supplices in urbem accipi possent et praeco qui mulieres vi abducere conatur, pulsus sit, actio ad finem perducta est. Item in Eumenidibus Orestes ex initio fabulae is est, qui quam sortem habiturus sit quaeritur. Tota actio etiam in Euripidis Supplicibus in artificio illo posita est, dum in Andromacha et Hercule prior modo pars fabulae, in Ione una tantum scena sed ea gravissima artificio expletur. In Heraclidis poeta artificium caput esse voluisse eo probatur, quod v. 340, ubi Demophon Iolaum admonet ut aram relinquat, iterum de artificio monet. Similia sunt in Aeschyli et Euripidis Supplicibus. In Menandri Perinthia et Plauti Mostellaria supplices in una tantum scena, in Rudente in uno actu — tertium dico — partes agere iam supra memoravimus. Item in Senecae Agamemnone supplices in fine demum fabulae ad aram fugientes partes minores agunt. Quales autem partes supplices in eis fabulis, quarum modo fragmenta nobis servata sunt, egerint, ex fragmentis ipsis fere nunquam cognosci potest. Alcmenam Euripidis ea scena, quae in vasculis depicta est (cf. supra p. 21 sq.), finitam esse Engelmann l. l. iure concludit, ut hic artificium ultimam tantum eamque breviorem fabulae partem expleverit. In Telepho et Alexandro mediam partem artificio expletam fuisse

verisimile est (v. supra p. 16 sq.), cum Telephus fabula eo finiretur quod Achilles placatus Telephi vulneri medebatur. Alexander autem sub tragoediae finem demum cognitus et a Priamo receptus esse videtur (v. supra p. 19). In omnibus autem fabulis artificium in actionem ipsam eam vim habet, quam summam vim dixeris, nempe ut *περιπέτειαν* efficiat. Iam Aristoteles huc respexisse videtur, ubi fabulas internoscit actionem simplicem et perplexam habentes, de arte poetica cap. 10 (p. 1452 a) *εἰσὶ δὲ τῶν μύθων οἱ μὲν ἁπλοῖ οἱ δὲ πεπλεγμένοι, καὶ γὰρ αἱ πράξεις ὧν μίμησις οἱ μῦθοί εἰσιν ὑπάρχουσι εὐθὺς οὖσαι τοιαῦται. λέγω δὲ ἁπλῆν μὲν πρᾶξιν . . ., πεπλεγμένη δέ ἐστιν ἐξ ἧς μετὰ ἀναγνωρισμοῦ ἢ περιπετείας ἢ ἀμφοῖν ἡ μετάβασίς ἐστιν.* Vim autem, quam *περιπέτεια* in dramatum actione habuit, Gustavus Freytag l. l. p. 90 bene verbis expressit. *Peripetie heisst bei den Griechen das tragische Moment, welches das Wollen des Helden und damit die Handlung durch das plötzliche Einbrechen eines zwar unvorhergesehenen und überraschenden, aber in der Anlage der Handlung bereits gegründeten Ereignisses in einer Richtung forttreibt, welche von der des Anfangs sehr verschieden ist*[1]) . . . *Vorzugsweise durch dieses Moment wurde eine kräftige Bewegung des zweiten Teiles hervorgebracht und die Athener unterschieden sorgfältig Tragödien mit und ohne Peripetie. Die mit Peripetie galten im ganzen betrachtet für die besseren.* Forma enim *περιπετείας*, qua actio maxime promovebatur, postea artificiose excolebatur (cf. Dieterich, *Archiv für Religionswissenschaft* XI p. 179). Et re vera fabulas

---

1) quod sumpsisse videtur ex Aristot. a. p. cap. 11 p. 1452 a: *ἔστι δὲ περιπέτεια μὲν ἡ εἰς τὸ ἐναντίον τῶν πραττομένων μεταβολή, καθάπερ εἴρηται, καὶ τοῦτο δὲ ὥσπερ λέγομεν κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ ἀναγκαῖον.*

perscrutantes in omnibus περιπέτειαν artificio illo effici videmus.

In Aeschyli fabula Supplices περιπέτεια adeo manifesta spectantibus offertur, ut hac tragoedia appareat iam Aeschyli temporibus τὴν περιπέτειαν tantum valuisse ut poeta fabulam traditam commutare potuerit uno hoc consilio ductus ut peripetiae locum daret. Fama enim tradidit[1]) Danai filias, quamquam Argos fugerant, tamen ab Aegypti filiis captas et necessitatem matrimonii invisi eis impositam esse. Quo facto sponsas nocte nuptiali omnes sponsos necavisse (cf. infra), qua in re περιπέτεια totius trilogiae, quam Aeschylus hunc mythum tractans composuerat, posita erat, denique Hypermnestram se purgavisse atque absolutam esse. Aeschylus autem primam tragoediam ita composuit ut Danaides summo timore commotae aram circumstantes urbis regem orarent ut sibi auxilium ferret. Consulto regem in oppidum proficiscentem fecit ut timor puellarum etiam atque etiam augeretur, eo praesertim quod interea praeco advenit filias vi ab ara tracturus. Tum ipsum rex revertitur et puellas servat quae grato animo solutae in urbem proficiscuntur. Hoc fabula finitur, quamquam tragoedia quae sequebatur ab eo incipere debebat, quod Danaides antea liberatae in Aegypti filiorum potestatem redactae erant. In altera enim trilogiae Aeschyleae fabula, quae Αἰγύπτιοι inscripta erat, expositum erat, quomodo Danaides ab Aegypti filiis ad matrimonium coactae, sponsos suos interfecissent.[2]) Quapropter eas in fabulae initio in Aegypti filiorum potestate esse necesse est. Cum Supplices vetustissima Aeschyli

---

1) cf. Apollodori bibl. II, 1, 5 sqq.

2) cf. Dieterich P. W. I, p. 1076 sq.

fabula ante annum 480 acta sit[1]), cogitandum est Aeschylum iam hoc tempore artificium περιπετείας novisse et subtiliter excoluisse. Neque hoc neglegendum est hoc solo artificio in Supplibus actionem alacrem oriri.

In Septem fabula duae, ut ita dicam, res animos nostros incitant, et fabulae πρόσωπα et chorus ipse. Cum hostes urbem oppugnent, puellae ad aram confugiunt. Eteocles autem abiit ut cum Polynice fratre decertet. περιπέτεια hac in fabula fortasse haec est, quod fratres caede mutua occidunt, puellae autem hostibus victis liberantur. Utrumque nuntii oratione, quam ad aram habet, comperimus. In Eumenidibus contra artificium plus valet. Eo quod Orestes Athenis ad Minervae aram fugit, Minerva dea coacta est ut Orestem solvat et Oreste soluto Furias placet.

Quantum ad Sophoclem, paucissima tantum de huius artificii vi scenica comperta habemus. In Oedipode Rege initium actionis ab illo fit; nam precibus chori, qui supplex ad aras sedet commovetur Oedipus ut strenue auctorem pestilentiae quaeri iubeat, qua re ipsius tragoediae argumentum instituitur.

Euripides autem is est, qui artificio illo plurimum et artificiosissime usus est. Ab Aeschylo didicit, quales effectus τῆς περιπετείας artificio moveantur. Etiam quomodo περιπέτεια cum artificio supplicum ad aram confugientium coniungi possit, ex Aeschyli fabulis cognovit. In Supplicibus περιπέτεια ita fit, ut rex Theseus feminarum et Aethrae matris precibus motus praeconem, qui advenit ut matres abduceret, pellat et bello feliciter gesto efficiat, ut feminis corpora septem ducum reddantur. Similis περιπέτεια Heraclidarum est. Etiam hac in fabula Supplices

1) cf. Christ-Schmid, *Griech. Literaturgesch.*, *München* 1908, I, p. 276, adn. 2.

quos praeco vi abducere vult in summum periculum incidunt, rege autem opportuno tempore intercedente servantur. Sed nunc actio adhuc simplex perplexa fit, cum nondum omne periculum amotum sit. Ad belli enim faustum eventum virgo interficiatur necesse est. Macariae demum morte voluntaria res feliciter finiuntur. Optime autem in Hercule et Andromacha videmus quemadmodum illud artificium tamquam certa quaedam formula adhibeatur, qua efficiatur περιπέτεια. Quomodo id factum sit iam supra p. 55 sq. uberius exposuimus.

Sed fusius de Hercule disputemus necesse est. Alterius enim partis vis in priore posita est. Euripides hac in fabula duas res sibi contrarias effingere volebat, Herculem suos et servare et perdere. Quare necesse erat ut in priore parte, qua monstraturus erat, quomodo heros suos servaret, antea indicare debebat, quomodo illi in periculum incidissent. In altera vero tragoediae parte, ubi personae intereunt, artificium illud non exstat. Duas habemus περιπετείας; prior ex mala in bonam fit, altera et ea gravissima ex bona in malam partem. Artificium supplicum ad aram confugientium priorem modo partem minoris momenti explet.

Actionem fabulae artificio illo promoveri etiam ex eo elucet quod efficit ut chorus in scenam prodeat. In Heraclidis chorus Iolai lamentationibus allicitur, in Hercule chorus in scenam prodit ut res adversas, quibus Amphitryo et Herculis uxor affecti sunt, doleat.

Sed non semper id tantum artificio efficitur, ut actio promoveatur. In Andromacha Euripides artificium maxime ea de causa adhibuisse videtur non solum quod eius ope περιπέτεια facilius efficiebatur, sed etiam quod mores Andromachae et Hermionae

et Menelai optime depingere potuit. Hermiona propter principatus cupiditatem marito Neoptolemo odiosa Andromachae invidet eamque una cum filio Molosso interficere vult, quare haec in arae tutelam se conferre coacta est. Menelaus, qui Andromacham omni auxilio egentem vel arae auxilio destitutam ad summum urguet, durissimus videtur. Saepius accidit ut illud artificium eo vividius effingatur quod supplicis in ara sedentis vel vexatoris *ἀναγνώρισις* accedit. Ita in Ione fabula Creusa quae ad aram fugit, Pythia intercedente Ionem filium suum esse comprobat. Hic igitur *περιπέτεια* hactenus tantum ex illo artificio oritur, quod Pythia Creusam ex periculo imminente eripere studet. Tum autem artificium illud dimittitur et *περιπέτεια* propria *ἀναγνωρίσει* efficitur. Optime etiam hac in fabula Ionis iuvenis mores describuntur, qui scelestis Creusae consiliis perspectis acriter queritur num hominibus nefastis liceat in deorum aram se conferre.

In Euripidis Dictye Perseus, qui matrem a Polydecte servare vult, mutata veste advenit et in tempore cognitus matrem suam, quae ad aram fugerat, servat. Qua in fabula eadem *ἀναγνώρισις* atque in Ione invenitur, cum etiam hic mater, quamquam non a filio pressa, filium recognoscat. In Alexandro item *ἀναγνώρισις* scenam sequitur, in qua Alexander a fratribus vexatus ad aram fugit.

Etiam in Telepho fabula *ἀναγνώρισιν* cum artificio nostro coniunctam invenimus. Telephus enim, qui ut remedium vulneris a Graecis petat, Mycenas venit mercatoris habitu indutus, cum non satis caute personam suam occultet, ab Ulixe cognoscitur. Qua cognitione summo periculo implicatus Oreste capto ad aram fugit.[1]) In hac fabula aliter atque in Ione

1) vide supra p. 16 sq.

ἀναγνώρισις antecedit et tum Telephus in ara salutem petit. Ex comoediis Aristophanis Thesmophoriazusae afferantur, cum etiam hic Mnesilochus, qui veste mutata mulierem agit, cognoscatur et deinde ad aram fugiat.[1])

Romanos in fabulis conscribendis saepissime exemplorum Graecorum rationem habuisse nobis putandum erit. Ita Plautus in Mostellaria Diphili *Φάσμα* expressit. Seneca in Hercule furente artificium adhibuit, quia in exemplari, Euripidis Hercule, illud invenit. In Agamemnone contra, qua in fabula eum Aeschylum maxime praeter Romanum quoddam exemplar imitatum esse putant,[2]) sub finem mythum ipse mutavit ita ut post Agamemnonis mortem etiam Cassandra ad supplicium rapiatur et Electra in carcerem includatur. Ut crudelitatem Clytaemestrae et Aegisthi melius illustraret, puellas illas horum minis perterritas ad aram accedentes facit. Et re vera neque Clytaemestra neque Aegisthus arae sanctitatem verentur sed Clytaemestra etiamtum sanguine mariti interfecti aspersa puellas ab ara rapi iubet.

Simili causa, nempe ut mores personarum depingat, commotus etiam Plautus in Rudente (i. e. Diphilus) puellas ad aram fugientes fecit. Nam optime sordidi et ignavi mores lenonis Labracis demonstrantur, cum quamvis puellas per vim ex asylo sacro rapere conetur, tamen Daemonem puellarum tutorem timeat (v. 752 sqq.; 868—891).

Tum etiam artificio hoc adhibito actio alacrior fit. In Mostellaria fine servus, cuius fraudes detectae sunt, ad aram fugit, ibique manet, usque dum precibus

---

1) Utrum Aristophanes Euripidis Telephum illuserit necne infra p. 94 explicabo.

2) M. Schanz, *Röm. Literaturgesch., München* 1901. II, 2, p. 48.

Callidamantis liberetur. Hanc scenam a Plauto hac maxime de causa ab exemplari receptam esse censeo ut spectatores delectentur. Servus enim in ara sedens petulantissime dominum irridet, et cum ille minetur, se ignes arae appositurum esse, v. 1115 dicit: 'ne faxis, nam elixus esse quam assus soleo suavior.' Quibus ex verbis optime elucet, quomodo *νέας* quae fertur comoediae poetae artificium supplicum ad aram fugientium adhibuerint ut risum excitarent.

His igitur in comoediis, ita ut in reliquis fabulis supra allatis, supplices, cum aliter iam non se servare possint, ad aram fugere cognovimus. Talibus autem in fabulis non solum eo ipso momento, quo supplices maxime pressi aram petunt, spectatorum animi excitantur, sed inde etiam atque etiam supplicibus timent, quoad, quam sortes illi habituri sint, comperiunt (v. supra p. 76 sq.). Ita etiam hoc loco artificium ad actionem promovendam inservit.

Caput IV

De artificii origine et fatis

Quibus expeditis restat ut quaeramus unde artificium supplicum ad aram confugientium in dramata pervenerit. Cui quaestioni si respondere conamur cognoscemus, in multis tragoediis hanc quaestionem diiudicari non posse: ubi autem disceptari potest, videmus poetas tragicos artificium illud aut ex mytho recepisse aut ipsos demum invenisse. A mytho receptum est artificium a Sophocle in Aiace Locro et ab Aeschylo et Euripide in Telepho fabula. Sophocles enim argumentum Aiacis Locri, quod tradidit Cassandram ab Aiace ab ara tractam esse iam in Stesichori carmine epico, cui titulus *Ἰλίου πέρσις* erat, invenisse videtur (cf. supra cap. II). Aeschylum porro argumentum quod in Eumenidibus tractavit iam in

mytho invenisse putandum est.[1]) Plerumque autem artificium a poetis inventum demum est, cum fabulis quae tradebantur suo Marte suppletis aut leviter immutatis alacrem actionem animos spectatorum moventem efficere studerent, quod imprimis Aeschyli Supplicibus probatur (cf. supra p. 79), quam ad fabulam conscribendam Phrynichi tragoedia *Αἰγύπτιοι* excitatus est[2]) (cf. Wecklein in edit. Supplicum, p. 9 sqq.). Item in Septem puellas supplices ad aram fugientes suo Marte induxit, quamquam in mytho nihil simile inerat. Quod eo consilio fecit ut Eteoclis fortitudinem puellarum metui contrariam magis exaltaret. Sophoclem porro in Oedipode Rege primum senes ad aras festinantes fecisse ex eo cognoscitur, quod senum partes fama non traditae erant. Euripidem in Andromacha et Hercule totam priorem partem, mytho nihil simile tradente, ipsum excogitavisse supra p. 56 sq. commemoravimus. Argumentum quod in Supplicibus tractavit iam ante eum Aeschylus in Eleusiniis exposuit (cf. Dieterich, P. W., VI, 1 p. 1258), qua in fabula Theseus item effecit, ut matribus corpora septem ducum traderentur et sepelirentur. Supplices ad aram confugisse in Aeschyli Eleusiniis non traditum sed certe conclusum est. Qua in fabula mytho vulgari novum aliquid intulit eo, quod bello gesto matrum ad aram confugientium precibus satisfieri fingebat, quod iam apud Herod. IX, 27 legitur. Ubi Euripides matres ad aram sedentes fecit, Aeschyleam quidem fabulam, sed non Eleusinios, immo Supplices secutus est (cf. Aesch. Suppl.; supra p. 52). Item in Ione, Helena, Heraclidis argumentum traditum plane mutavit (cf.

1) cf. C. Robert, *Bild und Lied (Philolog. Untersuchungen*, V). Berlin 1881, p. 175 sqq. Höfer in Roscheri lexico III, 1, p. 978.

2) Num in Phrynichi tragoedia artificium exstiterit, nescimus; in mytho ipso non exstitisse certum est.

Weil, *Etudes sur le drame antique*, p. 125). Etiam in Alcmena fortasse eam scenam, in qua Amphitryo uxorem, quae ab eius ira ad aram fugit, comburere vult, invenit, cum nusquam hoc traditum esse videatur.[1]) Restat ut de Telepho pauca dicam. Quamquam Telephi res iam in Cypriis narratae erant, tamen in carmine epico non traditum erat, Orestem a Telepho correptum esse. Aeschylum primum hoc artificium invenisse duobus vasis pictis inter annos 470 et 450 effictis probatur.[2]) Quarum alterum Telephum in ara sedentem, non Orestem ostendit, h. e. mythum eum qui in Cypriis narrabatur. Alterum vas, a. 450 circiter confectum, Telephum in ara sedentem, gladio cinctum, dextram manum hasta nitentem ostendit. Hic etiam Orestem tenet. Quibus imaginibus probatur, Orestem a Telepho raptum inter annos 470 usque ad 450 ab arte pingendi receptum esse; quod si ita est Aeschyli tragoediam solam hoc effecisse patet. Postquam Sophocles quoque artificio illo de Telepho in fabula *Ἀχαιῶν σύλλογος* (v. supra p. 28) usus est, Euripides artificii vim ad summum perduxit. Hoc eum ita effecisse puto, ut Telephus in artificio illo Orestis vitae gladio minaretur, Agamemnon autem iterum in Telephum irrueret. Quae res apud Aeschylum quidem exstitisse non videtur. Huc referatur necesse est narratio Thucydidis I, 136, qui Themistoclem, cum ad Admetum regem venisset, filium illius cepisse et ad *ἐσχάραν* fugisse refert,[3]) quae cum imagine illa supra descripta adeo consentit, ut iure illa narratio ad quaestionem, quis in Telepho artificium

---

1) cf. Engelmann l. l. p. 59.

2) cf. Jüthner, *Wiener Studien,* XXIII, 1901, p. 1 sqq.; L. Pollack, *Zwei Vasen aus der Werkstatt Hierons,* Lipsiae 1900.

3) cf. etiam Plut. Them. 24.

illud invenerit, alicuius momenti esse possit. Dolendum est, quod non iam diiudicare possumus, num narratio illa vera sit. Itaque aut re vera illud accidit: tum sequeretur, ut ea re poetae ad mythum de Telepho amplificandum incitati sint, aut quae de Themistocle narrantur fabula est; tum e poetarum Telephis ad Themistoclem relata est. Atque hoc Mommsen[1]) et Wilamowitz[2]) pro certo habent.

Sed iam oritur quaestio unde poetae artificium illud, si non in mytho invenerunt, usurpaverint. Hoc de vita, unde etiam in mythos devenit, desumptum esse apparet. Nam saepissime poetae animadvertere potuerunt supplices ad templa vel deorum aras et simulacra confugere. Fana, quae praecipue asyla habebantur, omnia enumerare non meum esse puto.[3]) Haec ad asyla servi, qui dominorum crudelitatem effugere studebant, vel victi (cf. Aesch. Suppl. 82) vel damnati confugerunt. Ibi enim sacrosancti erant, cum omnia, quae deorum aut fidei deorum commissa erant, laedere nefas esset. Is qui in ara dei sedebat, quasi in gremio dei erat; qui supplici iniuriam inferebat, simul deum offendebat (v. supra p. 45 sq.). Plerumque asyla illa ab insectatoribus non violabantur, sed homines nefarios iam damnatos aut in asylo obsidendo necare aut per vim ex asylo trahere nequaquam nefas putabatur. Ita Thucydides I, 134 narrat Pausaniam ducem, qui in templum Neptuni in Taenaro promunturio situm fugerat, ab ephoris Spartanis inclusum et fame maceratum esse. Etiam hoc notum est, illos, qui Cylonis partes sequebantur, cum nobilitatis imperium opprimere vellent, ab hominibus nobili-

1) cf. *Römische Forschungen*, II, p. 118 et 146.

2) *Aristoteles und Athen*, Berlin 1893, I, p. 151.

3) vide P. W. s. v. *ἄσυλον* et *ἀσυλία*; Schömann-Lipsius, *Griechische Altertümer*, II, p. 215 sqq.

bus in Minervae fano Athenis necatos esse (cf. Thucyd. I. 126 et Herod. V, 71). Supplices saepissime ignibus arae appositis ex asylo pulsos esse etiam ex fabulis supra tractatis cognovimus. Talibus igitur exemplis tragici primi usi sunt. Comicos poetas artificium illud Euripidem maxime sequentes recepisse credendum erit. Sed et hi artificium, quod in comoediis in risum plane converterunt, ita explicaverunt ut res in vita agi videbant. Itaque semper fere servos ad aram confugientes fecerunt, cum hoc plurimum re vera fieret (v. supra p. 87).

Quibus explanatis iam ad ultimam commentationis partem transeamus, qua exponatur, quomodo usus artificii in poesi dramatica mutatus sit. In tertio capite, ubi res, quae ad supplicum partes pertinent eo consilio tractavimus, ut qua arte artificium a singulis poetis adhibitum sit eluceret, consulto nullam rationem temporis quo fabulae conscriptae sint habuimus. Nunc vero consideremus quid ex prioribus capitibus sequatur, si fabulas, ut succedunt tempore, contemplamur. Prius autem genus fabularum, quod illud usurpavit, est tragoedia. In eius fabulis quamquam fere omnibus bipartita forma est, ut supplices primum vexentur deinde inopinato serventur, tamen animadverti potest quomodo usus huius artificii mutetur. In vetustissima quidem Aeschyli tragoedia Supplicibus artificium, ut supra expositum est, (v. supra p. 79) maxime poeta pressit, puellarum *ἱκετείαν* animos moventem, et generosum hospitium regis nobilis, qui exemplar Thesei Sophocile in Oedipode Coloneo fuit. Dramatica actio fit cum *κῆρυξ* ferox in scenam prodeat, ut puellas abripiat, exemplar Coprei Euripidis in Heraclidis et Creontis Sophoclei in Oedipode Coloneo. Adnotandum etiam est Aeschylum semel modo unum supplicem in

Eumenidibus, bis chorum supplicum feminarum in scenam prodeuntem fecisse (Suppl. Sept.). Quarum tragoediarum Septem fabula magis ad totius civitatis res pertinet, cum in Supplicibus sortes personarum e mytho receptarum tractentur. Atque hoc memoria teneamus, artificium Aeschylo adeo placuisse ut eius adhibendi causa argumentum traditum mutaret. In Septem contra, quae fabula anno 467 acta est,[1]) artificium in actionem ipsam maiorem vim non habet (cf. supra p. 80) et περιπέτεια ipso artificio non efficitur. Hac igitur in fabula Aeschylus artificium ex Supplicibus recepit, sed illud actionis caput esse noluit. In Eumenidibus vero a. 458[2]) actis poeta vim artificii auxit, cum de Oreste supplice eiusque solutione tota tragoedia agatur; neque artificio illo bis uti non veretur, quod primum supplex in tempus[3]) servatur deinde demum re vera liberatur. Novum igitur aliquid hac in fabula Aeschylus protulit; et apertum est, eum hoc fecisse ut artificium ipsum novaret.

S o p h o c l e s contra in tragoediis servatis semel modo artificio usus est in Oedipodis Regis initio. Sed hac in tragoedia artificii vis minoris momenti est, cum ab hoc artificio actio incipiat modo, totius autem fabulae compositio ἀναγνώρισιν petat. Sophocles artificii usum hic eo mutavit, quod supplices non ad aras fugiunt ut ab insectatoribus refugium habeant, sed ut deos sibi concilient et ante regiam Oedipodis animum flectant. Deperditarum fabularum in Aiace Locro et Alexandro etiam Sophocles artificii vim auxisse videtur, cum animos spectatorum in scenis

1) cf. Dieterich P.-W. I, p. 1078.

2) vide P.-W. I, p. 1080.

3) ἄσυλον sanctum esse ea maxime ex re apparet, quod etiam dei (Eumenides) illud verentur.

valde commoveret eo, quod vexantes supplices, qui ad aram fugerunt, interficere conantur, illi autem summo in discrimine servantur. Hic igitur artificium eo novatur, quia vexans improbus, quod in Aeschyli fabulis nondum invenitur, aram non veretur. Eo periculum oritur ne ara vim defendentem amittat atque auditores excitantur ut magis supplicibus timeant. Etiam hoc Sophocles plane novavit, quod iam artificium supplicum ad aram confugientium cum *ἀναγνωρίσει* coniunxit, quod postea Euripides saepius fecit. Cum Aeschylo igitur Sophocles eo consentit, quod etiam apud eum *περιπέτεια* artificio illo efficitur et *περιπέτεια* illa in bonam partem fit.

Idem etiam Euripides in universum ab Aeschylo recepit, sed hunc poetam maxime artificium mutavisse videbimus.

Euripides enim saepissime artificio illo usus est, nam in sex fabulis integris et in septem fabulis, quarum modo fragmenta servata sunt, invenitur. Si quo tempore hae fabulae conscriptae sint quaerimus, eas fabulas inter annos 438 et 406 compositas esse cognoscimus.[1]) Telephus compositus est a. 438, Dictys a. 431, Andromacha initio belli Peloponnesiaci scripta esse videtur, Heraclidae fabula composita est a. 427, Thyestes et Oeneus ante a. 425, Supplices a. 421—420, Hercules a. 420—416, Ion a. 421—413, Alexander a. 415, Helena a. 412, Cretenses et Alcmena ante 406. Qua in re animadvertimus, sub finem huius spatii (417—406) tragoediarum numerum, quibus artificium illud continetur, celerius augeri.

Quarum fabularum, ut primum pauca de argumento et poetae consilio dicam, plurimae, quas qui-

1) Sequor ea, quae A. Dieterich de tempore fabularum exposuit in Pauly-Wissowae R. E. VI p. 1254 sqq.

dem servatas habemus, inter eas numerandae sunt, quae rem publicam attingunt et patriam laudibus efferunt. Qua in re Aeschylum imitatus est qui item artificio ad patriam celebrandam adhibuit. Hic igitur artificium Euripidis consilio rei publicae laudibus efferendae servit. In primis autem in Heraclidis et Supplicibus Atheniensium humanitatem celebrat. Supplices una cum Erechtheo ad pacem anni 421 celebrandam actae sunt, et iam a veteribus *ἐγκώμιον Ἀθηνῶν* nominabantur. Ad hanc seriem praeterea Hercules et Andromacha et Ion spectant. Alexander autem ad id genus pertinet, quod A. Dieterich l. l. p. 1270 *bürgerliches Schauspiel* nominavit. Aliae fabulae ut Telephus, Dictys, Thyestes, Oeneus ad pristinae aetatis mythos traditos spectant, cum reliquae ut Alcmena, Helena, Cretenses ad id tempus pertineant, quo poeta ad vetera argumenta recurrebat, sed ita ut in tractandis vel a prioribus poetis abhorreret vel adeo nova plane argumenta, quorum scena in peregrinis terris est, excogitaret.[1]) Animadvertendum est Euripidem in artificio nostro adhibendo nova quaedam excogitavisse. Ita saepius in eo maxime genere, quod *bürgerliches Schauspiel* nominatur, cum artificio illo *ἀναγνώρισιν* coniunxit, quod iam apud Sophoclem vidimus, quem tamen hic rebus semper novis superare studet (cf. P. Hoffmann l. l. p. 56). Quae res inde explicatur quod Euripides in tragoediis componendis plerumque duobus artificiis utitur. In illis tragoediis, quae rem publicam spectant, artificium supplicum ad aram confugientium et *ἐγκώμιον* civitatis coniungit, in iis autem quas *bürgerliche Schauspiele* nominare possumus artificium supplicum et *ἀναγνώρισιν* adhibet.

---

1) cf. Christ-Schmid, *Griechische Literaturgeschichte, München* 1908 I p. 336.

Qua ex re bene perspicitur, quantopere Euripides certas formas, quibus spectatores movere potuit identidem repetere adamaverit. Sed singulas res semper eum novare studuisse ut exemplis affirmem, Euripides artificium novavit cum supplices, qui apud Aeschylum semper ad aram remanere student, sua sponte aram relinquentes faciat, ut in Herc v. 319 sqq. et Androm. 411 sqq.: hoc iterum auditorum animi valde excitabantur, cum artificio illo non, ut exspectabatur, supplicum servatio efficeretur. Etiam eo artificium mutavit, quod apud eum (in Herc. et Androm.) supplices omnibus precibus neglectis fortiter mortem occumbere volunt, cum hoc apud Aeschylum Sophoclemque non inveniatur. Ac si in Supplicibus adhuc tota actio in artificio illo posita est, in Andromacha et Hercule contra prior modo pars, in Ione una modo scena artificio conformatur. Qua ex re cognosci potest, Euripidem in fabulis ultimis artificium ad actionem totam formandam iam non sufficere iudicavisse, quo comprobatur poetas artificium nostrum ut artificium tragicum contemnere coepisse. Ubi Euripides *ἀναγνώρισιν* cum artificio coniungit, etiam locum horum duorum artificiorum variat. Ita in Telepho supplex primum cognoscitur et tum demum ad aram fugit, in Ione autem Creusa primum ad aram fugere debet, tum *ἀναγνωρίσει* facta solvitur. Plerumque tamen res, quas novat, ad *περιπέτειαν* spectant, ita ut, ubi *ἀναγνώρισις* deest, artificium nostrum actionis caput sit, ubi autem *ἀναγνώρισις* exstat, ea etiam *περιπέτειαν* veram efficiat. Et Athenienses fabulas *περιπετείᾳ* insignes, quae aut artificio illo solo aut cum anagnorisi coniuncto efficiebatur amavisse ex magno fabularum Euripidearum numero in quibus supplices partes agunt, elucet.

Poetas, qui post illos tres tragicos fabulas

composuerunt, artificio usos esse ex iis titulis apparere videtur, qui ab his poetis eadem argumenta, quibus apud tres illos tragicos artificium contentum erat, tractata esse testantur. Nominandae sunt: Agathonis, Cleophontis, Iophontis, Moschionis Telephus; Nicomachi Alexander; Antiphontis Andromacha; Pamphili Heraclidae; Lycophronis, Timesithei Hercules; Astydamantis min., Dionysii, Ionis Alcmena; Chaeremonis, Philoclis Oeneus; Agathonis, Carcini, Chaeremonis, Cleophontis Thyestes. De arte qua hi poetae artificium aut imitati sint aut novaverint nihil dicere possumus, cum fragmenta pauciora sint, quam ut certa coniectura fieri possit.

Tragici Romani autem cum argumento etiam artificia a Graecis probata acceperunt. Itaque in fabulis deperditis, quod artificium illud attinet, plerumque eos a Graecis pendere pro certo haberi potest. De singulis quidem rebus etiam hic, praesertim de ratione qua supplices inducebantur in incerto relinquimur (v. supra p. 49 sq). Seneca vero bis supplices ad aram fugientes fecit, in Hercule et in Agamemnone. In Hercule Seneca causam, qua adducti Megara cum liberis et Amphitryo ad aram se conferunt, mutavit. Apud Euripidem Lycus totam Herculis gentem exstirpare vult, ne ultorem relinquat, apud Senecam autem Lycus Megaram in matrimonium ducere cupit ut ita regnum stabiliat, quae re vera debilis modo ad aram confugiendi causa est. Etiam hoc monendum est, poetam in Agamemnone, cur puellae aram relinquant, causis firmare nescire. Qua ex re bene perspicitur Senecam artificio illo ad actionem vere dramaticam conformandam uti iam non scivisse.

Eodem tempore quo tragoedia Graeca etiam comoedia vetus florebat. Sed neque ἀναγνώρισις in co-

moedia vetere invenitur, quatenus servata est, neque supplicum ad aram fugientium artificium sincerum exstat. Hoc inde explanatur, quod in comoedia vetere omnino nulla artificia ad actionem conformandam adhibentur.[1]) Id vero exponitur eo quod Hoffmann l. supra p. 1 l. p. 58 adnotat, comoediae veteris compositionem unum actionis finem non petere, cum instituta rei publicae et civium mores per singulos iocos risisse satis habeat. Quod in Thesmophoriazusis Aristophanis solis Mnesilochus in arae tutelam se confert (v. 850 sqq.), postquam fraudes eius a mulieribus detectae sunt, id eo declaratur, quod certum risum sibi poscebat poeta, cum Euripidis Telephum irrideret, quod recte iam Welcker censuit, cum falso Hoffmann l. l. p. 58 putet Helenam Euripideam ioco haberi. Nam qua de causa Mnesilochum feminae puerum eripere eumque se interfecturum esse minari putas? Hoc Telephum spectat, non Helenam; cui rei testimonium etiam schol. ad Aristophanis Achar. 332 affert: *τὰ δὲ μεγάλα πάθη ὑποπαίζει τῆς τραγῳδίας, ἐπεὶ καὶ ὁ Τήλεφος κατὰ τὸν τραγῳδοποιὸν Αἰσχύλον, ἵνα τύχῃ παρὰ τοῖς Ἕλλησι σωτηρίας, τὸν Ὀρέστην εἶχε συλλαβών· παραπλήσιον δὲ καὶ ἐν τοῖς Θεσμοφοριαζούσαις ἐποίησεν· ὁ γὰρ Εὐριπίδου κηδεστὴς Μνησίλοχος ἐπιβουλευόμενος παρὰ τῶν γυναικῶν ἀσκὸν ἁρπάσας παρά τινος γυναικὸς ὡς ἂν παιδίον ἀποκτεῖναι βούλεται.* Quae verba ad Euripidis Telephum non Aeschyli respicere viri docti summo iure suspicati sunt.[2]) Euripidis praecipue Telephum ab Aristophane illusum esse, etiam ea de causa crediderim, quod ut in Euripideo Telepho ita etiam in Thesmophoriazusis animi incitatissimi sunt, cum et Mnesilochus pueri et Telephus Orestis vitae minetur. In Aeschyli Telepho

1) cf. F. Leo, *Plautinische Forschungen* p. 142.
2) cf. Vater, *Die Aleaden des Sophocles*, Berlin 1835, p. 19.

hoc exstitisse non videtur; in imagine quidem supra p. 86 descripta Telephus tranquille in ara sedens cum Oreste parvulo depictus est, cum imagines ad Euripidis fabulam respicientes semper Telephum gladio destricto Oresti minitantem ostendant.

Etiam in comoedia nova artificium illud raro exstat; semel apud Menandrum, semel apud Diphilum (Plaut. Rud.) Philemonemque, quem Plautus in Mostellaria imitatus est. Proprium est huic artificio in comoediis exstanti, quod supplices semper servi sunt, qui a dominis propter fraudes vexantur. Quod artificium comicos poetas de vita desumpsisse iam supra commemoravimus. Quod autem artificii tractationem attinet Euripidem imitati sunt. Terentius porro supplices ad aram fugientes omnino non in fabulis suis induxit (v. supra p. 35). Im Heautontim. v. 975 Chremem dominum ad servum Syrum dicentem facit 'ne te admisce: nemo accusat Syre, te: nec tu aram tibi nec precatorem pararis.'

Quibus ex versibus elucet Terentii temporibus artificium illud etiam comoediae ut Euripidis temporibus tragoediae, obsolevisse, aut rectius temporibus illius poetae quem imitatus est Terentius i. e. Menandri; poeta simul exprimit, se artificium ab aliis saepius usitatum quamquam bene nosse tamen ut nimis detritum adhibere nolle. Quod ubi fiebat, artificium supplicum ad aram confugientium de numero eorum artificiorum, quibus poetae saepius uti solebant, sublatum erat.

Vita

Natus sum Fridericus Schmidt die XIV mensis novembris anni MDCCCLXXXVII in vico Borussiaė orientalis, cui nomen est Schernen, patre Friderico matre Elisa e gente Hoffheinz, quibus viventibus gaudeo. Fidem confiteor evangelicam. Litterarum primordiis imbutus a vere anni MDCCCXCVIII per quattuor annos gymnasium regium in urbe, cui nomen est Allenstein, inde, cum Regimontium migrassem, gymnasium Kniphoviense per quattuor annos frequentavi. Vere anni 1906 maturitatis testimonium adeptus numero civium universitatis almae matris Regimontanae adscriptus, per novies sex menses studiis philologicis et germanicis et historicis operam navavi. Ut semel sex menses scholas audirem, quamquam inscriptus non eram, benigne concessum est.

Docuerunt me viri doctissimi *Ach Baumgart Bezzenberger Deubner Goedeckemeyer Heinze Jeep* † *Kowalewski Krauske Ludwich Meissner Rossbach Rühl Schubert Tolkiehn Uhl Walter Wünsch.*

Proseminario philologorum per quinque semestria interfui, quod *Deubner Jeep* † *Ludwich Rossbach Wuensch* regebant, seminarii, cui moderabantur *Deubner Jeep* † *Rossbach* per tria semestria, seminarii philosophorum, quod *Ach* regebat per semel sex menses sodalis fui. Praeterea ad exercitationes archaeologicas benigne me admisit *O. Rossbach,* ad philosophicas *A. Goedeckemeyer.* Denique societati philologorum latinae a *Ludovico Jeep* † gubernatae per sex menses, graecae a *Ludovico Deubner* et *Ricardo Wünsch* institutae per quinque semestria interfui.

Quibus omnibus viris doctissimis gratias ago iustas atque debitas, maximas autem *Ludovico Deubner* et praecipue *Ricardo Wünsch,* quorum ille in hoc opusculo instituendo, hic, quae eius est humanitas, in perficiendo summa cum benignitate me adiuvit.